

R 14220

Memoriæ Ordinis Eremitarum Magni
Patris
AUGUSTINI:
sive
PANEGYRIS IN HONOREM SAN-
CTORUM DICTI ORDINIS ab ITALICO
In LATINUM TRANSLATA

Et Sub

Gratiosissimis Auspicijs Illustrissimi Domini AUGUSTINI CODELLI de Fabnenfeld AA:LL: Philosophiae, & Medicinae Doctoris, Domini in Thurn, Dobrova, & Saloch, Inclytorum Ducatum Carinthie & Carniolie Nobilis Patricij, Sac. Cæs. Cath. Regiæq; Majestatis, Consiliarij, &c. &c.

IN LUCEM EDITA & VULGATA

Dùm.

Labaci ad D. V. Annuntiatam Ord: FF. Eremit. S. R.
Augustini Theses Theologicas De Sacramentis in Ge-
nere, & in specie publicè propugnarent.

V. P. Guilelmus Umbforegg, & F. Christianus Plon-
ner Sacrae Theologiæ Studentes.

P RÆS I D E

R. P. Joanne Facundo Nani Ss. Theologiæ
Lectore.

Anno Dmi: M.DCC.XXXIV. Mense Die.

Labaci, Imp. Adami Friderici Reichhardt.

Ab vsum Tris Ioa: Nepomuceni Schigan ord: Eremit.





976. Bodetische Fahnenfeldz

N=030304324



Illustrissime Domine, Patrone Gratiosissime.



N Olim mireris, ad Te potissimum Augustinianas divertisse Memorias, ac Tu sub Nominе nunc primò Latias redditas, lucem intueri probè in comperto babes plurimis ex titulis has Tuas esse, & eas Tibi deberi. Sunt equidem illæ ex innumeris segetum manipulis quos Augustiniana Familia Vaticano deprehendit Oraculo foecunda Sanctorum Parens utroque in orbe ubertim produxit, exiguae quedam messorum reliquæ, non disparest tamen illis à Moabitide Ruth collectis, atquè adeò Tu non indignæ Patrocinio: & hoc sanè pretiosius haud accipere poterant, quam à Te, qui etiam in Nominе refers Augustinum. Tanto sub Parente plurimos militasse Filios quorum eximijs virtutibus ornari & fulgere Ecclesiam, nisi oculis sit ægris, quisque conspicit; ut verò & illi illuminentur, ac oblivioni non tradantur quorum non est Memoria, & quorum hic non panegyrim aut encomium, sed quamdam tantum Nominum reperies, & perleges congeri: m, Tu singulari tributum est virtuti quam ab In-

Inclito illo Codelliano mutuatus es Stemate, cuiusque Nobilis crux etiamnum Tibi per venas meat: Hujus commendatissima recensere Decora, superfluum conso, quia Toti Huic Patriæ sat perspicua. Est apud banc in Benedictione Memoria incomparabilis illius Viri Petri Antonij Patruelis Tui, ut potè à quo Cathedralis Labacensis Ecclesia munifica ditata fundatione suorum Reverendissimorum Dominorum Canonicorum auctum intuetur Numerum, & Eucharisticum Numen dum ad ægros deferatur, pulcherrimum plurium Luminum accepit comitatum. Multiplicia Æra Campana, quæ concinno murmure hic reboant, Codellianæ Insignis nos admonent Pietatis jussu cuius iusta sunt fieri, dumque gratissimo concrepant sonitu, vocaliorem Famam reddunt, referuntque, non nisi pro DEO & Patria plurimos semper eam impendisse conatus. Hoc evidentiūs relucet in Sacello illo, quod Tu in Prædio in Thurn nuncupato à fundamentis erexit, nuncque illud expolis & perfidis, immuni ab originali labo Deiparæ dicatum volens, ut quod jam tot pijs operibus à se editis addere non poterat ille, cuius Tu & Virtutum, & Bonorum es Hæres, Tu superadderes, vel potius consummares, semper in Matre Filium adorans & exaltans: ad hoc agendum, puto à syderibus illis, quæ Mariam coronant, arcano influxu, Tua, quæ in Gentilitio Tu Insigni gestas, attracta fuisse sydera, illisque jungi cupisse, quatenus lucidius Tantæ Virgini efformarent Diadema: neque vanam meam dicas opinionem: etenim

etenim, si Sanctorum Patrum præconijs Maria Mons in
vertice Montium præparatus esse extollitur; nunc vides
quam benè Tuos Ternos circumdent Montes Terna syde-
ra, ut videlicet non tantum recensitam Codellianæ Familiæ in Divos efferant Pietatem, sed ipsius & splendorem,
& Claritatem, & Firmitatem quaqua versum annunti-
ent: & minimè sum dubius Pro sapiam Tuam Firmita-
tem non habituram, cùm Terna itidem Mavortia Brachia
Tribus quoque ornata Vexillis, quēis inscriptum est: pro
DEO & Patria, reddere hanc autumant stabilem, nevè
labatur, succolare. Verūm, si cuncta Tu in Gentilitio
Scuto sunt perfecta, quia Trina: Montes, Sydera, Vexilla,
Brachia, quare tantum binas gestas Noctuas, sed coro-
natas? est Noctua Avis Palladis: & Palladem & sapi-
entiæ & Armis, geminis omnis veræ virtutis fontibus,
præsidere, habemus. Igitur in forma concludere nil vetat:
quæcunque ab Inlyto Stipite Tu bactenus acta sunt, co-
ronata suspici, quia pro DEO & Patria acta; supra
quod, quia nullum encomium, ut supra coronam, nullum
præmium: patere jam Illustriſſime Domine! ut mea hic
vox subiiceat, ne illud ex proverbio audiam: me Noctu-
as Athenas ferre, hoc est, Te Laudibus, qui ijs abundas,
cumulare: atque indulge, ut harum in locum mea profunda
fubeat Veneratio, quā dūm Augustinianas Tibi sacro Me-
morias, ut jugem etiam Conventūs illius unde bæ prodeunt,
& mei apud Te memoria retineas, demissè precor, qui sum

JLLUSTRISSIMÆ DOMINATIONIS

Tue

humillimus servus

F. JOAN. FACUNDUS NANI, Aug.



Theses Theologicæ de Sacramentis in Ge- nere, & in Specie.

I. **S**acramentum, ut convenit solis Sacramentis Novæ Legis, est invisibilis gratiæ, visibilis forma: & ut habet rationem signi, potuit pure Spirituale institui. 2. Qualia Sacra menta defacto instituta fuerunt in Lege Nova, Veteri, & naturæ, talia nulla fuerunt in statu Innocentiae, neque futura fuissent si ille status perseverasset. 3. Dogma Fidei est dari in statu Legis Novæ vera Sacra menta: eaque non esse plura, aut pauciora, quam Septem. 4. Hæc Sacra menta à Christo ut Homine fuerunt immediate instituta ante Ascensionem in cælum: quamvis DEUS potuerit etiam puro homini communicare potestatem ministerialis excellentiæ delegatam, ut recte talis homo diceretur institutor Sacra mentorum. 5. Omnia Sacra menta Novæ Legis constant ex rebus, & verbis formalibus, vel virtuilibus ianquam ex partibus intrinsecè ea componentibus per modum materiæ, & formæ. 6. Soli homines viatores de Lege communi possunt esse Ministri Sacra mentorum, quæ ut valide fiant, non sufficit, ut Minister intendat facere tantum actum externum Sacra mentalem: sed ut explicite, vel

vel implicitè saltem, intendat conficere Sacramentum, sive rem Sacram quā talem. 7. Ut Sacra menta in præsenti validè conficiantur, debet intentio Ministri esse absolute, nec sufficit conditionata, nisi statim transeat in absolutam; requiritur præterea intentio vel actualis, vel virtualis: neque sufficit habitualis, vel interpretativa: eaque debet versari circa determinatam materiam. 8. Fides, aut Sanctitas ad valorem Sacramenti non requiritur in Ministris.

9. Solus & omnis Viator est subjectum aliquorum Sacramentorum, quæ ut validè suscipiat, si sit adultus usum rationis habens, requiritur in eo positivus consensus, vel intentio saltem habitualis non retractata per actionem oppositam illud recipiendi: ut verò fructuose eadem recipiat, si sint Sacra menta mortuorum, requiritur in eo actus fidei, spei, & amoris imperfecti: si verò sint Sacra menta vivorum, exigitur moralis certitudo de statu Gratiae.

10. Sola Sacra menta Novæ Legis causant gratiam ex opere operato: quin Sacra menta mortuorum per se primò, causant primam gratiam; & Sacra menta vivorum per se primò, secundam. 11. Sacra menta Novæ Legis causant Gratiam instrumentaliter, physicè, indirecte: & ea quæ fictè sed validè sunt suscepta, hanc pariter causant, remoto obice.

12. Tria sunt Sacra menta videlicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo quæ imprimunt characterem, qui immediate subjectatur in intellectu practicè operativo. 13. Baptismus quantum ad determinationem materiæ & formæ institutus est à Christo in Jordane: quantum ve-

ro ad externam promulgationem, & prout est *Imago Mortis*, & *Resurrectionis Christi*, Matth. & Marc. ult. c. 14. *Baptismus vel fluminis, vel flaminis, vel Janguinis omnibus & singulis Adultis est necessarius necessitate medij & præcepti: & eodem modo parvulis non sanctificatis in utero, est necessarius vel fluminis, vel Janguinis: parvulis vero sanctificatis est solum necessarius necessitate præcepti.* 15. Non licet Principibus Christianis conferre Baptismum filijs infidelium usu rationis expertibus, invitis ipsorum Parentibus, politicè tantum, & civilitè subditis. 16. Confirmatio est verum Novæ Legis Sacramentum in Nocte Cœnæ institutum: bujus materia remota necessaria necessitate præcepti, & Sacramenti, est oleum oliuarum, & balsamum naturale, seu *Chrisma*; cuius Consecratio nulli Sacerdoti, qui non sit *Episcopus*, nec ordinarie, nec ex commissione competere potest, et si sic possit esse Minister Confirmationis. 17. Christus celebravit Pascha, & cœnam instituit in vespera terminante quartam decimam diem Martij, & immediate antecedente quintam decimam. 18. Aqua in consecratione Calicis immediate in vinum convertitur, & in vinum conversa in sanguinem: nec aliter potest converti: comunicans quoque sub una tantum specie, sumit totum & integrum Sacramentum quod est simul Sacramentum, & res Sacramenti: non tamen totum quod est Sacramentum tantum. 19. Terminus formalis transubstantiationis, quæ essentialiter est actio, est substantia Corporis & Sanguinis Christi ut reproducta sub specie-

speciebus panis, & vini. 20. Substantia Panis & Vini in
Sacramento Eucharistiae non remanet, sed tota, & totali-
tè desinit, remanentibus solis accidentibus, quæ existunt
sine subjecto per modum existentiæ receptum à substantia,
divinitus à DEO servatum, etiam destructa substantia:
nec divinitus potest Christus videri ab oculo corporeo, ut
est in Hostia. 21. Eucharistia est verum sacrificium Incru-
entum: sola consecratio constituit essentiam sacrificij, si con-
secraretur unica tantum species, non esset sacrificium. Hoc
in ratione rei oblate, & Principalis offerentis, est valoris
infiniti: finiti verò ratione fructus qui percipitur à fideli-
bus, & ratione Sacerdotis secundariò offerentis: offertur
que utilitè pro omnibus hominibus Viatoribus tamen fide-
libus, quam infidelibus, & pro Animabus Purgatorijs,
quamvis diversimodè: 22. Poenitentiæ Veri Novæ Legis
Sacramenti instituti à Christo Joan. 20. forma, est absolu-
tio consistens in verbis Absolvo Te: materia verò proxima
ex qua essentialiter componitur, sunt tres actus poenitentis,
videlicet contritio in corde, confessio in ore, & satisfactio
in opere: sed hæc tamen, est tantum pars integralis; et si
propositum satisfaciendi, sit pars essentialis. 23. Contritio
formaliter differentialiter consistit in dolore de peccato: &
materialiter præsuppositivè in detestatione & odio peccati,
cum proposito non peccandi de cætero. Dolor, qui forma-
litè est actus voluntatis, in contitione debet esse maximus
appreciativè, non intensivè simpliciter. 24. Ad justifica-
tionem in Sacramento non sufficit attritio pure servilis, sed

debet habere annexum aliquem amorem DEI benevolum
super omnia, imperfectum, inchoatum, se junctum ab ha-
bitu charitatis. 25. Non potest dari Sacramentum pœni-
tentiae validum & informe. atque ad hujus integratatem
formalem spectat aperire etiam circumstantias notabiliter
aggravantes intra eamdem speciem. Obligatur quoque
Minister Confessionis ad servandum sigillum triplici Jure
26. Extrema Unctio Verum Novæ Legis Sacramentum,
habet pro materia remota oleum olivarum ab Episcopo
benedictum. Minister ipsius ordinarius, est solus Cura-
tus: delegatus autem, omnis Sacerdos: & subjectum, soli
baptizati adulti infirmi in gratia constituti. 27. Septem
tantum sunt Ordines, qui simul sumpti constituunt unum
Sacramentum unitate finis. Episcopatus non est Ordo di-
stinctus à Sacerdotio, sed ipsius extensio, & excellentissi-
mum complementum. 28. Matrimonij Veri in Lege
Evangelica Sacramenti Minister, sunt ipsi contrahentes:
materia remota, sunt corpora legitima, proxima vero,
actualis traditio potestatis in alterutrum: & forma, est mu-
tuus consensus sensibiliter expressus. 29. Matrimonium
ut est purus contractus, est indissolubile jure naturali: ut
Sacramentum, jure divino: & quia essentialiter nec co-
pulam, nec consensum sive explicitum, sive implicitum in
banc, importat, sed tantum mutuam translationem potesta-
tis in corpora diversi sexus, cuius potestatis usus potest esse
perpetuò impeditus, ideo inter Beatissimam Virginem &
S. Josephum, fuit verum Matrimonium. 30. In solo sum-

mo Pontifice, & in Concilijs ab Eo congregatis est Potestas
statuendi impedimenta probherentia ne fiat Matrimonium
inter Fideles: & dirimentia, seu, irritantia illud jam fa-
ctum. Quia Votum solemne Religionis, & Ordo sacer sunt
impedimentum dirimens Matrimonium tantum jure Ec-
clesiastico; potest Papa in utroque in sensu diviso ob gravis-
simas causas dispensare; quod tamen probabilius non po-
test in Matrimoniorato, & non consummato.

O. A. M. D. G. J. V. A. Q. P.



Reliquerunt Nomen narrandi Laudes eorum: & sunt quorum non est Memoria. Eccles. 44.

SApienter, si benè dijudico, nos Noſtri admonuerunt Majores, ſingulis ut annis Solemni encōmio Heroium Noſtrorum triumphales honorentur Memoriæ, quatenus Magnæ illæ Animæ, quæ in terra tot exemplis Ordinis fastos illustrarunt, & in cœlo tot fulgoribus Solium Agni Dei circumdant, ſemper vivæ in ſuccessorum mente permanerent, ut à facinoribus adē decoris animati, poſſent & ipſi vel Laude non inæquali, Zelo ſimili, ac Fide pugnare, vel degeneri ſatem ac prævaricatrici posteritati obijcere memorando ſuorum Magnorum Auorum triumphos. Et profecto AA:! nimis acerbus foret caſus, ſi tantum inter nos viuae reboarent ſceleratæ memoriæ Achabūm, Esavorum, Cainorum, Ismaelium, & candidæ recordationes tot innocentissimorum Abellium quorum beata nomina aureis characteribus in æternitatis libro irradiant in ſacrilegam oblivionem à nobis transmitterentur, vel tanquam penitus mortui à corde traderentur oblivioni, & eſſent quorum non eſt memoria. Aſt gravius foret dam-

damnum, si Religio, quæ postquam afflictæ non di-
spar Racheli superuixit stragi ac Lanienæ tot sibi charo-
rum, hanc grandem jacturam sublevare non posset sal-
tem narratione eorundem triumphorum, aut nequiens
triumphantium calculare numerum, nomen etiam il-
lorum *qui in diebus suis babentur in laudibus* non vale-
ret proponere obtutui & memoriae ceterorum suorum
Natorum, & id saltem post mortem, quando juxta illius
Magni judicium, nec Laudatori ultrò est adulandum,
nec Laudato ampliùs pertimendum. Liceat ergo
mihi hīc celeri pede percurrere Memorias pulchiores
& clariores sacrofani eti hujs ordinis: & dūm alius to-
tus admirabundus suspiciet Flamivomum cor sui san-
ctissimi Patriarchæ: alius thaumaturga Brachia Tolent-
inatis: alius eleemosynarium Ostrum Villanovani Præ-
lati: alius humiliatam Purpuram Magni Ducis Aqui-
taniæ; ego quia ad splendores tantos cæcuto, gaudebo
solum admirari à longè Memorias Heroïum illorum
qui reliquerunt *Nomen narrandi laudes eorum, & sunt*
quorum non est memoria. Remanet unicūm, ut in causa
ad eō gravi, ac in materia ad eō secunda à me requirere
haud velitis sive ornamenta, sive artis fucos, sed simpli-
cem tantum narrationem Memoriarum & facinorum
Majorum Nostrorum: idque exinde, & quia facino-
ra ad eō conspicua ampliori Laude non egent, & ut à se
tantum ditior absque maculis & artis coloribus eluce-
scat veritas, quæ sola apud me unicus debet esse finis,
&

& principium sacrorum oratorum. Ceterum, obli-
vi cimini quoque, Vos exoro, rarae illius benignitatis,
illius fidei, quam omnibus alijs praestare a soletis: erga
me tantum rigidiores, ac acriores estote censores, at-
que horrido librate supercillio quamcunque perio-
dum, quamcunque clausulam, syllabam, ac vocem:
nam vocem aliam hic non promam, cui orbis litterari-
us, atque ipsa Petri oracula non subscripterint, quæ-
quæ probata non existat. Vos interim Excelsæ Ani-
mæ! quæ in Libro Vitæ absque syllabis, & absque
tempore æternum Legitis Vestrorum Triumphorum
Memorias, suscipere dignemini, efflagito, piam hanc
temeritatem, quam in effereñdis Vestris Laudibus as-
sumo: & quia jàm in casu extamus in quo alterutrum
est subeundum vel silentium, vel audacia: acquiescite,
aufcultandi me Laudabilitèr audacem non sine igno-
minia: aut finite, ut absque laude ultrò ingratus non
sim silentio.

Atque ad reducendum ad aliquem saltem ordi-
nem Ordinis adeò numerosi, ac sublimis alta vestigia:
mille jàm, & prope trecenti anni existunt, universa
quando Africa ex monstrorum quæ fuerat patria hære-
sum ob bellvas, furiarum efficiebatur conceptum:
quod & pro decoro, ac prælido, & pro scuto, ac or-
namento, & pro muro ac antemurali Catholicæ Fidei
prima sua fundamenta Augustissima hæc Religio je-
cerit, quatenus à servido climate in quo nata est, tota
ig-

ignis, & à Patre tota splendor, posset cum hoc
Adulta nova lumina exhibere Ecclesiæ, ac illo,
etiamnūm tenella exorientium tunc chymera-
rum dracones enecare: nata est in Africa mon-
strorum parente, ut Parens secunda Sancto-
rum velut illa mirabilium, tot filios cœlo daret,
quo Beatos, & tot Sanctos, quot portentia:
nata est in medio solitudinis, ut Ecclesia Afri-
cana quæ illis temporibus sub Donatistarum
jugo gemebat, locum haberet sub alis grandis
Aquilæ paratum à Deo, ita suis consilijs dispo-
nente Providentiâ, ut ad exortum monstrorum
semper in campum Alcides prodeant: nata est
in meridie lucidiori, quia meridiei haud dispa-
res clari esse debebant sui magni partus, vel
quia meridiei tunc Africæ à caliginibus obnu-
bilato lucem afferre debebat: nata est denique
ab uno Augustino, quia filij ipsius evasuri in-
genio Aquilæ possent cuncti pennas intèr gran-
dis Aquilæ proprius contemplari solem, & in
excelsis Libani apicibus exugere cedri medul-
lam purioris & sanctioris doctrinæ.

Verum jam vertices sacratissimi hujus orebi
conspicio, & appendicem non intueor in Africa,
clima, rupem, vel promontorium, ad quod
pugnax hoc agmen solis ad instar desuper suæ lu-
cis & ventorum pennas delatum non existat.

Uti-

*Anno Xti
389 surgit
Monasie-
rium Hi-
ponense.
Ita S. An-
tonin Ba-
rentus,
&c.*

Utinam crescentibus rebus crescere posset oratio! &
derelicto facinorum numero, qui nimius est,
enumerare hic solum valerem catalogum san-
ctorum qui illis temporibus Africam illustra-
runt: sed neque unius diei, neque hæc anni mate-
ria est: cum unusquisque noctis eorum eo tempo-
re in Africa florens magnus fuerit sanctus, &
unusquisque sanctus argumentum & materiem
magnæ panegyri subministrat. satis est dicere,
quod vix plantata in Numidia magna hæc vitis,
facta sit in vineam grandem; quod omni angulo
& scopulo insita, potuerit brevissimo tempore lon-
norum sex gè lateque (verba sunt Doctissimi Baronij) mag-
orato per to-
ta in Afri- na suorum palmitum ubertate universam occu-
cum pro- pare Africam, & quidem tali cum fecunditate,
pagatur. ex Baronio
quod in Wandalico bello tantum obierint ex
Nostris pro Christo invictissimi Martyres supra
bis mille quingenti absque illis, qui fugâ, pœnis,
exilijs, carceribus fugientes mortem, crudeliori
morti, ac diuturniori lanienæ supervixerunt.

Neque hic quispiam mihi opponat: quod cum ordo Noster eo tempore vitam solitariam ac otiosam media inter antra profiteretur: saturæ solum aureæ illæ animæ suæ felicis ignorantiae, ac ignorantis felicitatis, derelictâ sapientioribus curâ, nihil curaverint de Christi grege quem a verni lupus exterminabat, nihilque ad crudelia zizania at-

attenderint, quæ in campo Ecclesiæ Lucifer dis-
seminabat. quin exigente necessitate quasi for-
tissimi leunculi ex antris prodeuntes, ipsi primi
feritatem irritabant, barbarieque opposentes
humanitatem quam à feris apprehenderant, hic
face Verbi hydræ semina perurebant: ibi pere-
untem DEI gregem suis rugitibus defendebant.
sed distracti fortasse à tumultu & fragore æris,
haud unâ poterant quiete & pace Eremi frui?
quin Moysis ad instar *Levantes se supra se*, ex se
<sup>ex Villare
Uicensis</sup>
ipsis scutum adversus perfidiæ assaultus erigebant
neque prius brachia ab oratione fessi demitte-
bant, antequam omnes fortes Amalech debellati
ad terram non prosternerentur. Ast forsitan otio
& silentio eremorum immersi non poterant si-
mul Africæ gregem à lupis tueri? quin non di-
spares Zelosis illis ac sedulis Israëlitis, qui tem-
pore Nehemiæ *unâ manu tenebant gladium*, &
alterâ faciebant opus; unâ manu Psalterium per-
volvebant, impugnabant alterâ fundam: dexte-
râ ædificabant Jerusalem, sinistrâ Samariam de-
struebant: *unâ manu tenebant gladium calami*
adversus hæreticos, & alterâ faciebant opus in
ædificationem populi DEI. Sed crudeliores sal-
tem, ac ferociores inter pugnas à periculo deteri-
ti in tutum ad antra configiebant? verùm, quod
pro tunc à fuga juvamen, si in armorum dilu-

vio inundabat solitudo? si à templis atque à pro-
prijs nídis columbæ rapiebantur? si super Alta-
ria exēctæ victimæ sacerdotes cadebant? si su-
per ipsam DEI Arcam omnium primò flaminæ,
ac tonitrua Wandalorum jaciebantur ruebánt.
que? rumpitur præ teneritudine mihi sanguis è
corde, atque ab oculis lachrymæ exundant, dūm
unicè tribulationum rememoror illorum la-
chrymabilissimorum temporum, & intueri va-
gituum in medio tenellam hanc tunc Sunamiti-
dem manibus etiamnum lacteis generosè am-
plecti venerandum crucis vexillum, pugnám-
que conserere infamioribus cum hydris Ariano-
rum, Donatistarum, Manichæorum, Origenista-
rum, Nestorianorum, Pelagianorum, hydris, in-
quam, perfidioribus ac crudelioribus quas un-
quam in Ecclesiam Romanam è profundo aby-
suum evomuit Erebus: & quo corde, quo zelo,
qua pietate? dicat, qui potis est.

Et prævaleat veritas A: A! quis tunc præ
Nobis magè fidèi profuit? quis præ Nobis ubé-
rius in Concilijs excludavit? quis melius præ No-
bis Ecclesiam Africam (si pro tunc alijs, No-
bis exceptis, caruit) totam laceram, ac semine-
cem à plagiis Donatistarum curavit aureisque
advinxit nexibus ad obediendum & Christo, &
Petro? mendaces lauros hic non decerpo, aut
adul-

adulatrici manu aliorum haud rapio coronas ad
coronanda tempora meæ conspicuæ , ac fortis
Viraginis, quæ vera Regina veris honorum titulis ^{In epistolis}
^{ad Augustinum} *infulata, falsis ultra non indiget laudibus.* Notis.
num.
sumum est mihi quantum tunc Summi advigila-
verunt Pontifices, quantum Sacri perpetui sint
Pastores , quantum orientis ac occidentis ege-
rint Concilia adversus hydram semper depres-
sam, semperque enascentem Pelagianorum: dis-
simulare tamen haud valeo hic id, quod publica
fama , ac lingua unius ipsius Hieronymi afferuit:
hæresim videlicet Pelagi quæ illis calamitosis
temporibus universam Africam occupaverat,
ab Alipio & Possidio binis tunc Africæ fulmini-
bus eradicatam fuisse. Vos hic in testimonium
advoco sepulchra gloria pietatis! Vos interio-
ra deserta Sacrœsque Orebæ T'angitanæ! Vos Lu-
cidas Thebaides Tagastæ , Adrumeti, Byzatijs,
Caspæ, ac Juliæ Cesareæ! edicite Vos, Vos siqui-
dem vidistis quantum tunc pro Ecclesiæ benefi-
cio Nostri adlaboraverint: quoties ac quinam
tunc peccata pro scuto Donatistarum furori op-
posuerint: quot exules, ac fugiti vi cum Ful-
gentio mare sint prætergressi: quot in speluncis
clausi cum Donato & Evodio panem lachryma-
rum devoraverint: quot errantes in sylvis cum
Saturiano & Maxima ferarum cibus sint effecti:

*¶ Viclore
Uicensi de
Bello Wan-
dalico.*

quot in Urbium medio cum Liberato, Maximo
ac socijs ignem domuerint: quot sub tyrannide
Hunerici, Alarici, Traſamundi ac mille aliorum
barbariei purpuratorum Ecclesiam Catholicam
tanquam flumina sanguine irrigaverint, ac san-
guine illam nobis pacem pepererint, quâ nunc
fruimur. Sed hæc etsi sublimes, sunt tamen de-
biles etiamnum probationes, nimisque depreſſa
argumenta Nostri ausūs: & benè ſcitur, hanc in-
viçtam Amazonem etiam in fascijs decuiffe
præbere alta præſagia & indicia fortitudinis ad
cujuſ exercitium erat electa & vocata à DEO:
illud quod magis admiror eſt, quomodo in me-
dio unius ſylvæ frementium furiarum tot lupo-
rum inſidijs petita, à tot monſtris aggressa, à tot
belluis circumdata, non ſolum inter vagitus
non extiterit ſuffocata, ſed quomodo dein ad Nos
per lineam ſemper interruptam, ac beatam fe-
cunditatem pervenerit inſulata illis gloriæ fructi-
bus & memorijſ, quas hic vobis enarro. Et fa-
nè ſoleo ſæpius admirabundus hærere A:A: quo-
modo exigua quædam familiola, non alicui Reg-
no aut Monarchiæ par, ultra unum ſæculum ex-
tendat imperium? nam ſi ſimplex lapillus qui
apud Danielem in coloſſum ſuperbi Regis impe-
git cunctas in flatum resolvit orbis Provincias,
quid ſperari poterat de Ordine media inter bella
enu-

enutrito, hæresum in gremio enato, ac temporibus aded deplorabilibus, locisque aded truculentis, quēis, juxta Salviani dictum, ignominia erat fides, & perfidia religio? Nihilominus tamen perennet cœlum! perennet Victoriarum Numen! Audite posteri omnes! percipite terræ longinquæ! jubilate partiales Defensores Ordinis Nostri, & omnibus enarrate Gentibus, singulis ut innotescat cura quam de hoc sacro Ordine semper egit Providentia! non solum Ordo Eremitarum Magni Patris Augustini natus est, & crevit in medio crudeliorum barbariei belluarum, sed Wandalorum in inundatione, in cruoris diluvio, ac hæresum in pelago haud dissimilis vi-sus est Arcæ, quæ in diluvio triumpfans elevabatur cum aquis, omnibusque mirabilis redde-batur. Ast plus edifferam: quin ubi tot Ordines sa-cri, tot Regna, tot Monarchiæ breviori unius sæcu-lis serie à mordaci temporis ferro, ac ferreo martis flagello redactæ sunt in favillam, suæque fatalis felicitatis conspexerunt finem vix earundem no-mine remanente: Ordo Eremitarum non solum tot inter strages ac funera perduravit, sed etiam Danielis Lapillo non dispar, à pauperrimo tugu-riō in quo ortus est, crevit in montem, atque è monte in orbem, ac tali cum secunditate, quæ ^{tom. 2. A.}
^{neadum.} Sabellicum exclamare cœgit: *mirum est quomo*
^{Lib. 7. c. 9.}
do

*dōres Eremitarum toties afflēta ita creverit ad extre-
mum, ut nulli sacrorum ordinum cedat! Ast
detur tamen gloria, & honor, qui eo est dignus!
pro Patribus tuis, dō pulcherrima Princeps nati
sunt tibi filij: Augustino hæ palmæ debentur,
hi fructus sunt Augustini, nec à sanguine tot
Athletrum aliud exoriri poterat, quam candi-
dum quoddam Ver Virginum, ac rubicundus
quidam Martyrum Autumnus; nec ullo (est la-
conismus Magni Leonis) nec ullo crudelitatis ge-
nere destrui poterat Sacramentum Crucis Christi
(dicam ego) Martyrum sanguine fundata Re-
ligio.*

Memoriæ hucūque hæ sunt illius, quod
fuerat Religio suis in principijs; sed majores
etiam, ac pulchriores suo in progressu nobis elu-
cescunt, quas tamen si lumine fidei exponere,
aut nova divisione ad aliquem saltem ordinem,
reducere valerem, ô quam splendida magna hæc
sylva conspiceretur, quotve luminibus, ijsve
clarioribus Eremi Heroes, ac unā cum ipsis ipsa
ætheris sydera emicarent! verumtamen discur-
ramus è corde, neque pertereamur, & luce sal-
tem prophetica Danielis dumtaxat, Nos ad pe-
netranda hujus pergrandis nemoris interiora, ac-
cingamus.

Fuerat nox densior, quando Nabuchodo-
no-

nosor ab alis suarum chymerarum elatus, conspexit in somnis magnam quandam arborem, quæ nemorum gigas itellas cœli altitudine superabat, ac subitus radicibus per suam profunditatem abyssus confinia penetrantibus, ultra Tullen extendebatur ad terminos terræ: dives dein omni fructuum genere ut Paradisi planta, non solum in apicibus volatilibus cœli hospitium exhiebat, sed sub se quoque beata cum secunditate camporum belluis præbendo pascua, & cornucopia & esca erat universorum.

Nunc non diceretis Vos hic A: A: quod Daniel temporum præscius, & rectè homo desideriorum uti fuerat à Deo nuncupatus, tantò antea illa in Arbore adumbrare voluerit plantam sanctissimi mei Patriarchæ, quæ in medio terræ planata, ramorum suorum celsitudine sese super sydera erexit, & varietate ac pulchritudine fructuum arbusta Cades ditavit? Intueamini eximiae primitiæ hujus sacrosanctæ arboris sunt Gelasius ^{ex Theatro} Romanus Pontifex, Alipius Africæ Primas, Pos-^{Vita humana} fidius Calamensis Prælatus, Profuturus Bracha-^{na Verbo} rensis, Ferrandus Novæ Carthaginis, Leporius ^{Religio ex} Uticensis, Nebridius, Parthemius, Evodius, ^{Crescentio,} alter Ferrandus, Severinus, ex quibus alij deto-^{Sabellico} nando è pulpitis lingua, alij sacris in Concilijs ca-^{& alijs.} lamo fulminando, alij sanguine in Tribunalibus

pug-

pugnando, totum hæreſeon regnum confude-
runt, ac plantando Religionem morte, univer-
ſa Africæ Regna vera in Religione intacta serva-
verunt, ac nutrierunt. Contemplemini dein
ut antea, qualiter distincto & confuso ordine
proceritas ejus desuper eruditas bacchus Fulgentij
Mitrati Ruspenis, Prosperi Aquitani, Hilarij
Episcopi Arelatensis, Paulini Nolani, Licentij,
Paulique Orosij *ascendat ad cœlum*, & volatibus
adē sublimibus ed usque eorum diffundantur
splendores, quo usque sol radijs pertingit suis.
Admiremini, fructus hujus Plantæ sunt Moni-
ca, Perpetua, & Felicitas Mater & Sorores Ma-
gni Augustini : fructus sunt Melania junior,
Demetrias, Proba, Julianæ : fructus sunt Seve-
rus Trevirensis, Valentinus, Honoratus, Patri-
tius : utque fructibus adē venustis nec *flores*
nec lilia desint, onusta est magna Arbor tam ubi-
ri vindemiâ, quod ad asserendum sim paratus :
plures Sanctos hunc solum Ordinem Ecclesiæ
dedisse, quam fortasse alijs etſi majoribus, & an-
tiquioribus, fuerint Filij. Sed penes, quis edi-
cere posset, quomodo Africana post bella trans-
plantata hinc à mari in Hispanijs, in Germania,
in Gallijs, in Anglia, in Hibernia, in Æthyopia
quot oracula præbuerit Fidei? quot Apostolos
Evangelio? quot Doctores Gentibus? quot
San-

Samsones Ecclesiæ? quot Vaticano Atlantes?
Contemplemini eam , nec adversor , & quidem,
nisi animo deficitis , enumerando trophæa ma-
gnæ Arboris , hic pacificam manum Joannis à S.
Facundo , ibi stigmatizatos pedes Christinæ Me-
diolanensis : hic frontem totam floridam & du-
mosam Magnæ Ritæ : ibi animatum Calvarium
Divæ à Monte Falco : supra Libanos incisos pal-
marum : subtus , floridas valles liliorum : alibi
sylvas Rosarum , Heliotropiorum , Myriharum
in immensum excretarum . Vos dein , si valetis ,
opponite sacrosanctis & fidelibus oraculis Sum-
morum Pontificum , qui ob Excellentiam & nu-
merum Beatorum oblitupefacti , dignati sunt Or-
dinem Nostrum ; Ordinem secundum Sancto-
rum pronuntiare : Ordinem ad enutriendam &
defendendam Romanam Fidem enatum : Ordi-
nem semper decore & observantiâ floridum : Or-
dinem æquè ac alios semper Divino cultui addi-
ctissimum : Ordinem denique (totum edicam ,
nihil hic ex meo editurus) qui tanquam primæ
altitudinis cœlum totum luminibus exornatum
in gravioribus & atrocioribus pugnis tuitus est
diversis temporibus , fullsitque Romanam Fidem .

Sed quia elogia adeò excelsa , & oracula adeò
Sancta non decebat cœcè Vaticano à Tripode
prodire : juvat hic à capite exordiri , vel saltem in

D

cor-

*ex Possessio-
no, ex Bul-
lis Joan.
XXI. Bo-
nisatij IX.
Martini V.
Alexan-
dri VII.*

*ex Archivio
Spoletoano*

cortice motiva referre, ob quæ ad exaltandum tam sublimibus laudibus minimam hanc Religionem, atque temporibus tam felicibus Summi poterant adduci Pontifices. *Absit* (est Bonifacius IX. ad Commitia Generalia Aquilæ celebra
brata exarans) *absit*, ne quid in gloriam vestram, que velut inestimabilis altitudinis firmamen-
tum, quod multiplici syderum luce coruscans Uni-
versalem Ecclesiam diversis temporibus illustravit,
redundet. *absit*. & dicere voluit Pontifex : benè in comperto mihi est, non tantū Vestrū Au-
gustinum tanquam Ecclesiæ fulgidissimum so-
lem lucis suæ telis chimeras protrivisse hæræseos;
sed etiam Ordinem Vestrū primæ altitudinis extare cœlum, altitudinis firmamentum, quod undique luminibus variegatum diversis tem-
poribus defendit & suffulcit fidem Romanam, id conspicio, idque orbi declaro; *illustravit*, dum Ecclesiam Africanam totam laceram & dis-
cissam à Donatistarum Schismate, à belluis Pe-
lagianorum Arianorum, Manihæorum, Priscil-
lianistarum consolidavit; catenisque ac nexibus perfidiæ exsolutam, aureis compedibus Petri & Christi obedientiæ alligavit. *Illustravit*, dum fugiendo patrias crudeles oras in Europæ deser-
ta Numidiæ deserta transtulit, ac secundando li-
lij cedrique adinstar solitudinem, Eremum in
cœ-

cœli coloniam, & cœlum in coloniam Eremi
convertit. *Illustravit*, dum jussus ab Eremo
in Urbes migrare, absque Potentatum fa-
vore, absque Principum adhæsione, quin
sæpius ad æmolorum despectum, ad Magna-
tum oppositionem, ad Tribunalium contra-
rietatem, Erebi adversus assultus, erexit su-
prabis mille fortissimas Monasteriorum muni-
tiones, quâve utilitate, quâve fructu? cum
eam non lateat, enarret Ecclesia.

Illustravit, <sup>ex Sabellio
Bembo, &
alijs.</sup> dum Europæis in cordibus excitando quasi mor-
tuum & extinctum Fidei Catholicæ servorem,
Generalibus in Synodis Viennensi, Lugdunen-
si, Constantiensi, Florentina, Lateranensi, Tri-
dentina convictit, vicit, prostravit integrum er-
rorum Babiloniam, Ecclesiâmque universam
à male enatis, ac falsis expurgavit doctrinis. *Il-
lustravit*, dum in crudelioribus perfidiæ moti-
bus, sibi sub oculis vidit (heu intuitum crude-
lem!) ad defendendam Romanam Fidem depo-
populari Monasteria, Templa incendi, trucidari
Sacerdotes, & tamen hostis semper juratus in
Christi & veritatis hostes, nunc in Italia se se Gi-
bellinorum furori opposuit: nunc in Gallia hæ-
reses in pīj Calvini detexit: nunc in Hispania
æneum objecit pectus Saracenorum ferro: nunc
in Hibernia Henrici Octavi domuit superbiam:

nunc in Bohemia damnavit hæresim feri Wiclef-
fi : nunc in Germania sustinuit & defendit Petri
Claves, ac quaquaversum Victorias collegit.
Illustravit, dūm accensæ à forensibus, civilibūs-
que disiidijs tot venustæ Italæ Urbes Florentia,
Senæ, Perusia, Mutina, Firmum, Bononia, ad
nostrorum ignem, trienalem extinxerunt discor-
diæ ignem, ac exitu tam felici, quod crudelia &
antiqua odia inter Ducem tunc Mediolanensem
Sfortiam, & Rempublicam Venetam, quæ ne-
que Cæsar, neque Pontifices, neque Principes
ac unâ omnes Europæ Coronæ sedare value-
runt, sedaverit (sunt verba Pij II.) simplex qui-
dam Frater Simonetus à Camerino. *Illustravit*,
& si hic Vobis edicerem, quod sub Urbano II. &
Calixto sine Nobis Terra Sancta recuperata non
fuerit : quod non obſistentibus Nobis unācum
Bavaria Inferiorem Palatinatum Lutherus infe-
cisset : quod sine Doctissimo Seripando non po-
tuerit nec inchoari, nec terminari Concilium
Tridentinum : quod sine Alexio à Menesles Pa-
tres Societatis Jesu in Aethiopiam non transive-
rint : quod Nos tamen, Nos soli fuerimus pri-
mi ad plantandam in Indijs Crucem : Nos primi
ad Insulas Philippinas detegendas : Nos primi
ad Baptismate abluendam Provinciam Sanctæ
Fidei : Nos primi Mechaacani, Nos primi Quit-

ex Pio II.
ad annum
1430.

ti, primi Chili, primi Peruvij; minimè hic me-
morias à vero diffitas effarer. Ast adhuc am-
pliora adsunt: non solum Ordo Noster primus
extitit qui in Indijs Fidem plantaret, sed & pri-
mus qui & plura est perpessus, primus qui alijs
abundantiūs laboravit, primus qui præ alijs ube-
rius collegit, dum minori quam quinquaginta
annorum spatio mille trecentos & ultra Marty-
res Cœlo inseruit, duodecim convertit Regna,
decem Coronas Vaticano tributarias submisit,
brevissimoque tempore Mindanaum, Moluccæ,
Philippinæ ac alia vasta Regna vix unum solum
& occultum Idololatram habuere, dum tamen
antequam ea ab Andrea ab Urnadeta, ac Al-
phonso à Vera Cruce inventa fuissent, neque
unum habuere Catholicum. Verùm plura edi-
cam, parùm fuisset, quod hæc infima Religio
Evangelium in America evulgasset, nisi dein in
Europa intactam servasset Fidem: parum si pro-
cul triumphantem eduxisset Christi Gregem, &
à suo proprio ovili, Româ videlicet belluas non
expulisset. Ita est: Zelo semper hæreditario fla-
grat Eremitarum Ordo Petri Cathedram illu-
strandi & defendendi, proinde quantum omni
tempore, omni in angulo Spiritu, valore ac in-
teligiéntiâ polluit, totum semper in tutellam &
honorem Fidei consecravit. Testem hujus ap-
pello

ex Crescen-
tio, macedo
Bayerlinck
& alijs

ex Patro
Hajo Jesu-
uita Patres
Ordinis ad
annum
1520. Ame-
ricâ navi-
gant. Ita &
Crescentius

pello Italianam, quando in ingressu Bavari Romam,
rebellantibus fere Provincijs, Civitatibus, sena-
tu ipsisque Romanis collibus Romæ corruenti-
bus; *Solus Ordo Eremitarum Italiam rebellante,*
descidente Clero, deficiente Urbe in Fide perstigit,
& Danielis more in ore leonum observavit decreta
Pontificum. Testem appello Romam in qua Bo-
naventura Patavinus, Murus, & invictissima
Ecclesiæ Columnatela inter, hastas, & Cruces
honorem fulciens Clavum, impetum tyranno-
rum domuit, & coronatus potius quam sua in
nece sepultus, Ostro crux, Ostrum honora-
vit Latinum, purpuramque Martyrio exornavit.
Testem appello Germaniam, in qua infamis
Zuinglius omnes Catholicos Doctores ad feram
provocans pugnam omnibusque (d duram ca-
lamitatem!) hanc recusantibus, solus in cam-
pum prodijt Conradus Tregonius, ostendens,
quod si haeresis in Zuinglio efferret gigantes,
etiam Eremus Augustiniana in Conrado nutriri-
t Davides ad prosterendas hydræ cervices. Te-
stem appello Oecumenicum Constantiense
Concilium, in quo Joannes à Zacharia terror
Hussitarum conturbans, commovens, prote-
rens omnia Cades deserta, se ipsum in eximiam
obtulit ad flamas victimam quatenus impius
Joannes Huss ad eas damnaretur: egitque ut
men-

*ex Surio
in Comen-
sarijs.*

mendax appareret fama Scævolæ, qui suæ manūs combustionē ignem extinxit latinum. Testes appello Imperiales Wormatiæ ac Ratisbonæ <sup>ex Gravio
na in Voco
turturis.</sup> congressus in quibus Joannes Hoffmaisterus, præsentibus Electoribus Statuum Cæsareorum, universæque Germaniæ, ad duellum evocans infamem Apostatam Lutherum, subjecta conquassavit malignantium, ostenditque maledicis, quod idem cœlum, quod draco suâ inficiebat caudâ, novi fulcirent Michaëles. Testem appello Tridentinum in quo Doctissimus Seripandus Calamus, absque adulazione, & Lingua omnium, *ex tempore* reposuit & respondit centum argumentis à Novatoribus Synodo objectis: & quia plus temporis ad respondendum Patres postulabant, ipse totus nobili irâ ac ardore succensus exclamavit: *absit quod Ecclesia Dei indigeat tempore ad confutandos hæreticos.* Testem appello Universium Belgium, in quo Germaniæ Tullius Ernestus Gandensis prælia Dei prælians è pulpitis frequentè protestantium Sophismatisbus respondebat, & duplicitis manūs Aoddes, unâ reparabat Templum, & alterâ Alophilos destruebat. Testes appello remotiores & inhumaniores orientis oras in quibus Alvarus à Jesu belli Præfectus declaratus, Cruce in læva, & gladio in dextera prostravit, vicit, ac demolitus est Cal-

Calvinistarum turbam, ostenditque verissimis probationibus, quod non à gladio, aut à Cruce, atque à Venerabili Nomine Iesu palma sit expectanda.

Ast quorsum adē extra Europam, extra solem ac diem vagis efferor cogitationibus? cur in æquoribus Africæ ac Indiarum emendico palmas, & indigno silentio ingratus Patriæ, ingratus mihi ipsi domesticas ac proprias prætereo? sustinente igitur, ut ultro in argumento progre- diens extraneas memorias cum illis Nostræ He- truriæ confundam, & unicam saltem hic reme- morem, quam percipientes, nisi cor vestrum præ teneritudine fnditur, aut obstupefacti à ca- su, admirationem non excitatis, dicere haud ve- reor; humāitatis sensum nequaquam in vobis reperiri.

Perurebant Metropolim, totāmque Senen- sem Spartam hæreticalia Zizania unius cujus- dam, an hominis, an belluæ, ignoro, cuius etiam nomen referre est ignominia, Francisci Porcarij: infelicia pervenēre noya temporum suorum, ha- rūmque florentissimarum Athenarum Platoni Paulo Veneto: & an ad enascens venenum no- bili excandescens irâ exhorruerit, exarserit, do- lueritūe? quem non latet, edifferat; tentavit equidem primis assaultibus correctione, & pre- cibus

cibus horridam emolire belluam; ast flāmā jam
nimium excreverat, nimiūmque induruerat a-
spis: quod ergo medium creditis tunc attulisse
Paulum ad prosternendum & convincendum
superbum & omnibus invincibilem Porcarium?
Eja intueamini Vos Eum ab Astris, & abscondi-
ti sub Throno vestras quo magè valetis pupillas
detegite d Seraphim! tantūm siquidem Vestra
dignus est admiratione. provocavit Doctissimus
Paulus litterarium ad duellum perfidum Porca-
rium, hac tamen cum conditione, ut qui eorum
coram Judicibus in respondendo defecisset, pub-
lico in foro, tanquam Sacrilegij reus flammis de-
voveretur, ac cremaretur. Ambo fese ad præ-
lium hactenùs inauditum toto Spētame Patrum
Senatu, accinxere: breviorique tempore, quam
hæc edixi, Paulus Venetus triumphans venit,
vicit, non vedit Porcarium, undeque tantum con-
flictu à luto Porcarij senas extraxit: se ipsum ab
ignis tormento eripuit, ac Fidem Romanam op-
probrio subduxit. O victoriam exclamabo,
æternâ memoriâ semper dignam! d memorias,
exclamabo, illo tantum dignas, qui eas reporta-
vit! d *victoria*, dicam cum Tullio, *omni memo-
ria dignior, quâ nec suavius unquam nec fortius,
nec præstantius potest audiri!* Vos interim AA!
quid dicitis? & quid Paulus Venetus sub tyran-

nis non e gisset, si tanta pro fide hic inter nos est
operatus? Legi profecto fortitudinem (si digna sit fortitudo censeri) Torquati, Curtij, Bru-
ti, Leonidis, ac mille aliorum, qui publicum
ob bonum (dicam melius) ob Philautiam sui-
que ipsius amorem, ærarium, cruorem, & vi-
tam tyranno obtulerunt ferro: ast de eo, qui ut
Meus Heros, qui ut Paulus Venetus nec obstri-
ctus, nec quæsus, nec jussus suâ se sponte ad
moriendum obtulisset, & ad moriendum tan-
tum pro Christo, nec unquam legi, nec eum
conspexi.

Diu hæsimus in meridie, in progressibus vi-
delicet hujus magnæ silvæ, & benè, et si seriūs,
adverto, *quod dum in singulis detinemur, non ser-*
vemus præcepta dicendi. Verùm enim verò quid
faciendum? nam si ad unum concelebrandum
facinus progredior, mille alia prætereo, unum si
amplector, multa elabuntur: rapidi proinde ad-
instar fluminis omnia quidein amplectentis, ast
nihil fecundantis, & ego quoque omnia ample-
ctendo absque anteriori virium mearum perpen-
sione, aliqua numero, aliqua confundo, me-
que, quod nihil dixerim, reflecto. sed tamen Vos
mihi suggerite AA! & quæ certissima est conjectu-
ra, res ipsas interrogate. Perlegite Vosmetipsi An-
nales, & dein pro nostra fide edicite, quid gloriæ,
quid

quid pietatis, quid ué scientiæ alijs in Religionibus effloruit, quod in hac non fuit; aut ab ipsa in alias, ut potè tanquam à capite & antiquiore non profluxit? Et quid ei Romani defuere Sacri Collegij Purpurati? defuere Archi-Episcopi Toletani? Venetiarum defuere Patriarchæ, Senatores Carthaginenses, Imperatorum Secretarij, Principum Legati, Moderatores Regnorum, Fundatores Religionum, Sacrorum Conciliorum Praesides?

Minimè hic ego ad obscurandas alienas glorias indicis medio provinciam assumpsi: loquatur tamen quandocunque libet, ac si valet se se opponat perfidia, loquatur, & dicat ipsa, cui magis, quam Philippo Bergomensi, aut Panvinio sit obstricta Historia? dicat, cui magis, quam Billio, Dulciato, aut Calepino sint Artes Liberales obligatae? dicat, cui magis præ Jorchie, Alberto à Saxonie, Martino Radensi, ac Calancha mathematicæ scientiæ teneantur? Nobis pro Rivio, Ficino, Djonyvio à Burgo Montalio, ac Bernardo Tolosano est devincta Poësis. Nobis pro Alberto Patavino, Marianno à Genzano, Francisco à Castro viridi, Brandolino à Florentia, Fonseca, Valderama, ac Hurtado Ars Oratoria. Nobis pro Alphonso à Vera Cruce, ac Paulo à Venetijs, Dialectica; pro Augu-

stino Anconitano ac Novello Juris prudentia :
ac pro Jacobo à Valentia , Simone à Cassia &
Urbinate, Scriptura. Nostri fuêre Alcuinus Ca-
roli Magni Secretarius : Noster Aurelius Cal-
siodorus honor & decus Togæ : Noster Guilel-
mus Durantes Sacrorum Rituum corona : No-
ster Jacobus à Tolosa vocatus Magnus : noster
Felix à Prato : noster Henricus ab Urimaria : no-
ster Dionysius Vasquez dictus oraculum Ponti-
ficum ; totque alia oracula, quot Scriptores : no-
stri fuêre magna illa lumina quæ direxere Sorbo-
nam : nostri Michaël à Massa , Gerardus à Senis,
Alphonsus à Vargas , Joannes à Lana , Thomas
ab Argentina , Alexander à Sancto Elpidio , Ja-
cobus à Viterbio , & centum alij Columnæ om-
nes excelsæ , quæ ignem & nubem sapientiæ &
humilitatis evomentes inclytam illâ suffulerunt
Academiam , quæ semper extitit sapientiæ De-
lubrum. Quid verò penes ediferam de illis , qui
quasi generosæ aquilæ ima contemnentes *ma-*
gnis alis , *multisque plumis* primi sese evexerunt
ad detegendos venustos virtutis colles , sapien-
temque posteritatem suorum magnorum lumi-
num ductu edocentes vias veri per ignotam se-
mitam ad apicem direxerunt montis , & fructus
Cedri divisérunt ? Tales fuêre bini illi Veterani
Sapientiæ Magistri Ægidius Romanus dictus
Fun.

Fundamentalis, & Gregorius Ariminensis, ille,
quo (nisi falsæ sint memoriae gravis Sabellici)
nullus post Divum Patrem Augustinum nec
melius, nec uberioris scripsit: iste, qui gloria
& corona Nominalium scholæ, dignus fuit ab
Universitate Sorbonica Nomine *Autentici* deco-
rari, quia nullus *Academiae* (excerpti hæc à bo-
no Auctore) auctoritati *Gregorij*, nullus unquam
refragabatur, Tales fuere Tubæ illæ Evangelij,
Simon à Cassia, Sanctus à Cora, Hermanus Ha-
lensis, Alphonsus ab Orosco, qui omnes impetra-
tâ ab æthere sapientiâ audit tantum tono vocum
suarum depopulabantur nemora Cades, & Tem-
plum Neophytis turbis replebant. Tales fuere
Philippus à Mantua, Hugolinus ab Urbe Veteri,
Alphonsus à Corduba, Nicolaus à Fabriano, A-
lexander à saxo ferrato, de quibus, si cum docto-
Volatterano edicerem, quod tunc nec Italia pa-
res ijs, nec superiores conspexerit, haud rem à ve-
ro diffitam proferrem. Tales denique fuere Ægi-
dius Pisauriensis, Deodatus Senensis, Ambrosius
Neapolitanus, Periera, Peraltus, Stradella, Fon-
tana, Solera, Ricardottus si minus noti, haud mi-
nus facundi; & si omnium sint extinctæ Memo-
riæ, numerum præ omnibus augebit Ægidius Vi-
terbiensis, de quo Sabellicus & Bembus Cardina-
les summæ æstimationis & judicij, uti Orbi est in
com-

Petrarcha,
Angelo Poli-
tano,
Pontano.
Volaterano,
Sixto Se-
nensi,
Pico Mi-
randulano,
& aucto-

comperto, veriti non sunt asserere: quod si omnes pulchriores scientiae & Bibliothecae in cineres redactæ fuissent, Uno in Aegidio Viterbiensi universitate reperi potuissent. Quid ultra edicam? si omnino principium sit finis & causa sui causati, atque idem omne ens redit ad finem & principium unde prodijt, & cum nostri fuerint Magni illi, qui in famosis scholis Sorbonæ Papiæ, Bononiæ, Comimbricæ, Valentia, Duaci, Viennæ, Mexici primi docuerunt scientias, non hic asserere pertimesco: quod quantum hodie estimationis ac Lucis Liberalibus inest Artibus, totum in Ordinem nostrum tanquam in tanti boni causam ac principium sit refundendum. Et tamen, perennent semper Augustinianæ Memoriae! vel ad melius

*Ordines
supra 29.
qui Regu-
lam Augu-
stinianam
professi sunt
ex Possevi-
no.*

dicendum, perennent tantum Victoriæ Numinis Exercituum! non hic haeserunt Magnitudines: quot Ordines Regulares, Mendicantes, Equestres, Callatravæ, Melitenses, & quot post nostrum in Ecclesia resplenderunt omnes ab ipso, ut potè ab antiquiori regulam paucis exceptis, & precepta vivendi sumpserunt. Igitur si gloria fontis sint flumina ab eo scaturientia: si gloria Matris sint filii ex ea geniti, quantæ bujus Religionis sunt gloriae, quæ tantorum Filiorum, quot videlicet sunt Sancti adeo sublimes, sapientia & Devotione latatur?

Et

Eten, ut sensim se se Vobis AA! ad conspicendum præbent alti progressus & Magnitudines spatiosi hujus maris, quantumcunque nimis perspiciam, quod profundum non detexerim, *quamvis multos evaserim sinus.* Verùm, quid mihi a-gendum? expers, ut audistis, in copia adē felici ingenio, ac luminibus, huc atque illuc absque re-gula & ductore excurro, & incauti more nau-cleri, qui quo cunque prospicit, offendicula ve-retur, pariter & ego ad quamcunque flecto par-tem alios ac alios intueor scopulos, meque denud in littore reperio. Exaravit Plinius, quod qui ex-optabat pleniores ac fideliores Orbis Romani no-ticias, minimè auditui credere deberet, sed si po-terat, solus proprijs observare oculis situs & con-finiā Provinciarum, & sanè de se ipso loquens Divus Hieronymus asserit, quod nequaquam antea studio litterarum incubuerit, nisi post-quam eruditio oculo ac visu universam perlustra-vit Palæstinæ Provinciam: *antequam provinciam circuirem* (suo Rogatiano scripsit) *quam uni-versæ Christi Ecclesiæ sonant.*

Ethem! si hic ego ut Xerxes ascendere pos-sem ad Athi cacumina super exclesam turrim, ac inde unam post aliam evocare Augustinianas Provincias ad enarrandum proprio idomate Me-morias, & portenta Nostrorum! benè prævideo,
quod

quod actæ à jubilo unacum stupore admiratio-
nem ingererent; sed in materia aded uberi *in ipso*
conatu ultra vires ausa succumbunt, quantoque
majus fuerit quod dicendum est, tanto magis obrui-
tur, qui magnitudinem rerum verbis non potest ex-
plicare. Attamen ut Jesus Sidrach non valens
Gentis suæ victorias in compendio restringere,
cathalogum tantum eorum retexuit, qui *in*
diebus suis habentur in Laudibus quatenus ab ijs
arguere valeret Lector Gloriam & magnitudi-
nem Hebræorum: sic quoque & ego transcur-
rendo quid magni quid heroici Nostri egere, eo-
rundem Nominum solùm umbram insinuabo
Vestro derelinquens judicio, quod & discursu &
tempore nequeo comprehendere. Ego (hictota
lugubris, insertisque collo ac pedibus Wandali-
cis Æthiopicisque catenis ad dicendum exordire-
tur Africa (ego floridius semel Ecclesiæ Viridari-
um, liliūmque fragrantius Venustæ Augustinia-
næ Eremi, nunc lachrymabili catas trophe erro-
rum tantum effecta Lerna, ego inquam Magistra
ac Parens extiti illius ingeniorum Aquilæ, quæ
alias meis in regionibus semper Ecclesiæ regene-
rans, conspexit novus Evangelij Abraham sese
rore benedictionis sanctorum omnium irrigari,
& diffundens à mari ad mare eximia suæ lucis se-
mina in uberi suorum Natorum messe suspexit
stel-

stellas cœli, dūm rectè stellarum adinstar filij ipsius in me resplenduerunt, & ego ut stellas haud potis sum eos enumerare: utinam incultum meum idoma ac barbaries exaudirentur! audiretis sanè, tunc haud rariora monstra visa fuisse in Ecclesia, neque Ratim Petri majores lampades agnovisse. Sum tamen Africa, & etsi illachrymer, extiti secunda sanctorum Parens, atque ad me unicam licet hostem suis in tribulationibus & necessitatibus vicina recurrebat Italia, tunc etenim, omni amoto dubio, in me sapientia residebat, & Veritas effabatur. In me jucundæ Memoriæ, sed mei doloris tormentum! etiamnum perennant Carthaginis, & Milevis: hic sanctissimus Patriarcha adversus Faustum disputabat: ibi Alipius & Possidius è cathedris fulminabant: hic crudelem adversus Hunericum septem depugnarunt Pugiles: ibi Evodius, Parthemius, Severinus, ac Gaudiosus floruerunt: hic erigebantur sanctuaria Trabacense, ac Tagastense: hic Hippo; hic Bigue: hic Calama: hic denique litteratorum Athenæ: hic doctiorum Academiæ: hic doct: religiosiores: quoadusque ejecta à me cum Fide Religio, utpotè ab indigna, Eremus pariter excessit Augustiniana, ast adeò felici exilio, quod ut Judaica persecutio plurimum Ecclesiæ profuit, fidem seminarvit per omnem Mundum, ita

*ex Flavio
Dextro*

Wandalica Religionem ac Regulam exaltavit Augustinianam.

Et ego, triginta & ultra vocum repercussio-
ne desuper Appenini juga, triumphans ediceret
Europa, ego inquam apricioribus in oris Parthe-
nopes, Hetruriæ, Germaniæ, Hispaniæ, ac Gal-
liæ profugos tunc Magni Augustini Natos susce-
pi, quamtumque mihi antea damni, ac terroris
exercitus nunquam devicti & feri Africani attu-
lerant, tantundem penes solatij ab hoc invicto
& pugnaci agmine recepi. Trophea sui ausus sunt
universa Hirlandiæ insula à Magno Patricio bap-
tizata; Scotia à Palladio; à Germano Anglia: &
à Severino Pannonia. Trophæa sunt sanctuaria
Neridiana, Benchana, Jurana, Lerinensia, Agen-
na, Sislana, quorum minimum est luminosum
æther Salamanticense, de quo fert fama: quod
post obitum Joannis à sancto Facundo semper in
eo habitaverint & floruerint Beati. Trophæa
sunt synagogæ malignantium prostratæ. Tro-
phæa sunt statuæ honorum in Academijs erectæ.
Trophæa sunt devicti & exulti errores hæreseos,
quæ ad conspectum tantum horum invictissi-
morum fortium bellatorum meis excessit è
Regnis, ac suo cum viru disrupta antiquas in pa-
ludes sese abdidit. Ita universæ una eloqui voce
possent triginta quinque amplæ Provinciæ quæ
meæ

mea coronant Regna , perciperetis perspicue,
quod quantum unquam honoris & gloriæ Afri-
canæ Eremo inerat , tantundem in me fuisse col-
lectum , atque in me unica recuperasse quantum
in Africa amiserat . Sed quæ admiratio? natus est
in Africa Magnus Augustinus , sed in Italia Fidei
est renatus : obijt in Africa , sed in Europa etiam-
num suo in Tumulo vivit , ac è tumulo etiam se-
pultus eximij sui ardoris lucra & reliquias effun-
dit.

Memorias adhuc venustiores præbere ego
possum , diceret Asia , ubi Eremus Augustiniana
tanquam hortus voluptatis meæ telluris fragran-
tiam aureis exornavit malis , unumque Paradis-
um alteri copulavit . Venerè ad me ex Europa
Simon Morales , Antonius à Govea , Andreas ab
Urnadetta , ac Alphonsus à Vera - cruce , qui verè
Angeli veloces omne irrigando virgultum om-
némque scopulum , male enatam & serpentem
paulatim eradicavere & extinxere labruscā , me-
que in Vineam Engaddi convertere . Ipfis meæ
obstrictæ sunt Ecclesiæ : ipfis Malabaris Provin-
ciæ : ipfis Magor : ipfis Moluchæ ac Philippinæ :
ipfis Cinceum : ipfis Comorinum & Soccotorra :
ipfis Armutia & Bambassa : ipfis Bengalla ,
Quiola , Gao , Sinæ , Pati , Malaccha . Quid ultrà
proferam ? quantum Ganges in me sese extendit ,

quantum Tigris, quantum Euphrates, ipsi cuncta in circuitu paradisiacis humectarunt Missionibus, atque in ubertate adeò beata, quod credebam, antea mihi defuturas vires, quam ipsis fortitudinem, aut nemoribus meis patibula, quam ipsis patientiam. Ipsi omnimodè vicerè, meum tamen solumodd lucrum extitit, dum duodecim mea Regna ab ægyptiacis tenebris Nestorij ac Machumetis ad Floridam terram Gessen transvère, & ego velut drachma Evangelicæ mulieris jam amissa, eorumque dein luce reperta in Gremio Ecclesiæ recumbo.

Hoc tamen etiamnum nihilum est, Regiones Orbis penes exclamarent, ubi bellatrix hæc acies per cruoris & ignis æquor explicans ad ventos carbasa & spes ad Deum *ascendit mare in nubibus* & fecit operationes in aquis multis. Hic adhuc clara sunt nomina Joannis Estatij, Didaci ab Herrera, Andreæ à Salazzar, Georgij à Rosa, Alphonsi à Vera-cruce, qui Mexici, Peruviæ, Chili, Quitti, & Mechoacani desolando Idolatriam, erigendo Religionem, proterendo infidelitatem antiquas repararunt ruinas, vitarunt præfentes, & adeptione ac lucro unius orbis id recuperarunt Ecclesiæ, quod Germaniæ Draco in Europa destruere conabatur. Viætrices adhuc germinant palmæ Didaci ab Ortiz Peruviæ Proto-

to Martyris, Georgij ab Avila, Augustini Co-
ronæ, Joannis Ximenez, Petri à Zunica, ac Al-
phonsi Borgiæ, qui in illo novo amplissimo mun-
do mundum neophytarum generantes palina-
rum, sanguineis confirmarunt probationibus,
quod de Augustino ejusque filijs tunc loquere-
tur Isaias : & ædificabunt deserta à sæculo, & rui-
nas antiquas erigent, & instaurabunt civitates de-
sertas dissipatas in generationem, & generationem.
Non igitur fuit partialitas : fuit justitia, fuit reli-
gio, quod ille religiosissimus Cyrus, ac unâ Ze-
losissimus Religiosorum Promotor Magnus Ca-
rolus Quintus, auditis perceptisque palmis ex
Indijs à Nostris relatis, Regio diplomate Provin-
ciarum Præfectis ordinaverit, quatenus ubicun-
que opus foret publicis erigerentur sumptibus
Monasteria & Collegia Ordinis, addens, quod
pro messe ad eò inclyta Augustinianos sèpè delege-
rat, quia bujusmodi viros invenerat pecuniæ mi-
nus avidos, & bumilitatis magis amantes. Insu-
læ denvd omnes, & Europæ Regna compare-
bunt, & edicent : non extitisse in Hispania, Gal-
lia, Italia Eremitorium, in quo aureis illis sæcu-
lis Donati à Numidia, Guilelmi ab Aquitania,
Joannis Boni à Mantua non floruisse solitudo,
atque iterum è cælo primigenia ad nos non de-
cendisset innocentia. Eximum sequentur trium-

phum Provinciæ Ultramontanæ; Hungaria su-
um proferet Vitum, Polonia suum dabit Isaiam,
Bavaria suum Fridericum, suum Jordanum Sa-
xonia, Cannariæ suum Thaddæum, suum Mon-
tojam Portugallia, suum Storeum Anglia *Viros*
omnes *misericordiæ*, quorum meritis post Deum
& Pontifices debet Europa primam illam ma-
gnam Unionem, quæ tunc tantum gloriæ ac fru-
ctus Ecclesiæ attulit, & quâ mediante se de
ad ed in Indijs, in Brasilia, in Æthiopia Eremi
Coloniæ diffuderunt. Nihil conspexit, reponet
Terræ Sanctæ Provincia, qui in obsidione Rho-
di & Mothonæ, tela inter hastas, accruces bina-
illa eloquentiæ fulmina Philippum à Penabile ac
Nicolaum à Tolentino non fuit intuitus suis ma-
gè verbis, quam milites bellicis tormentis impi-
um perterrefacere Mahometem; & post facino-
ra aded conspicua refectos potius à vulneribus,
quam lauiciatos, desuper victoriosos Turcarum
arcus erigere trophæa, suosque signare triun-
phos. Ignorat quid sit fervor, subdet Portugali-
æ Regnum, qui ignitam ardenter animam mei
Thomæ non vidit in Marochianis carceribus
scholam aperire charitatis, obque atramenti de-
fectum, crux exarare mysticum volumen æ-
rumnarum sui Jesu, neque sanè unius Dei vul-
nera melius confirmari poterant, quam crux

*ex Jovellino.
Volaterra.
no. Fonta-
na & alijs.*

&

& digito unius alterius Thomæ. Nunquam quid
sit admiratio suspexit, subjunget Insula Hiber-
niæ, qui ad voces Magni Patritij immobiles per-
manere non perspexit ætheris Sphæras; utque
ipse dein pro totius triumphi coronide idolola-
trarum stragem prosequeretur, ex undecim con-
tinuis diebus unicum fieri diem, solemque præ-
stupore & jubilo per undecim detentum dies ei-
dem pro face famulari. Non audivit, quid Chri-
stiana sit constantia, deprædicabit Gallia, qui Na-
murci admiratus non fuit Andream à Quatierbras
caveæ inclusum vivum à Calvinistis longioris
& crudelioris necis cauſâ sensim excoriari: eum
tamen ita excoriatum antequam mortuum, nec
ullum vel minimum vilitatis præbere inditum,
ut ipsi ancipites hærerent carnifices, an ferreo illo
in pectore cor carneum, an verò corde in carneo
anima quædam aurea hospitaretur? Non perce-
pit, quid Christiana sit fortitudo, dicet Hispania,
qui in tredecim annorum spatio meorum Pugi-
lum ac Thomæ à sancto Augustino ductu non
perspexit octingentos invictissimos Martyres
Mantellatos Augustinianos, ne à Fide Dei sui ab-
straherentur, se ipfos ad flamas offerre, ac ipsis
flammis ardentes, in Japonensium & Barba-
torum petris veræ & Catholicæ Fidei ignem suc-
cendere. Elevabunt palmas & voces ad Memo-
rias

rias tam beatas universa Flumina & deserta
nostræ pulcherimæ Hesperiæ , & edicent : id
omne, quod in Hispania, in Germania, in Gallia,
in Belgio ut eximum floruit , refundendum
in ipsam, quæ invictum & fidele antemurale,
totum Europæ neruum , & Eremi gloriam suf-
fusit. *In omni ore*, exclamabit Sicilia desuper
meæ Hiblæ favos indulcabitur memoria mei Au-
gustini, qui calcato mundo ac aulâ, Aulæ Man-
fredi Regis Hetruriæ cavernas prætulit, dignus
tunc cum fugit Regno , & nunc dignior Regno,
quia sic benè fugere non ignoravit. Efferet Cam-
pania Zampanum & Guilelmum à Tarlia, istum,
qui Cedri adinstar integros plantavit palmarum
libanos : illum , qui idea originalis, ac ectypion
alterius Francisci atris è carbonibus pro Deo e-
mendicatis lac , & à candidioribus lacte frag-
mentis in confussionem avarorum & tyrranno-
rum, cruento expressit. Celebrabit Picenum
Antonium ab Amandula , Hieronymum Gie-
rarducium , & Jacobum Anconitanum , pri-
mum, qui novus Elias pro suo beneplacito *Ver-*
bo Domini cælum continuuit : alium, qui *Superio-*
ri suæ signum puritatis efflagitanti, eleuavit è sa-
rcophago manum: eique fasciculm florum por-
rexit : & tertium, qui extremus constantiæ co-
natus & simulacrum, totus ante mortem scatens

vermibus, hos ut Job eradebat è plagis, eōsque
iterum in plagas, quod Job non egit, reponebat.
Proferet Æmilia Joannem à Lanna Sorbonæ Ca-
thedraticum tunc verò Bononiæ ad Divum Ja-
cobum Superiorem, qui publicè proscissus, ac
in una genarum fauciatus, nobili vindictâ alte-
ram suo percussori præbere non dubitavit, atque
id vultu adeò hilari, modisque adeò divinis, quod
illorum temporum homines jurare confue-
rint (factum quod non edicerem, nisi ab Orbe
scriptorum comprobaretur) publicè per Nomen
Joannis à Lanna. Efferet Insubria palmas exta-
ticæ à Binasco, Philippi à Parma, Sfortiæ, Turri-
ani: & præ ceteris unicè solum recensebit Cheru-
binum ab Avigliana, Cherubinum talis innocen-
tiæ, qui è cineribus etiam puritatem exhalans, sa-
cro à cadavere messim litorum progerminavit,
prophetiam illam verificans, quod *offa sanctorum*
quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus
Domini in servis suis. Aperiet Umbria sepulchra
Magnæ Ritæ à Cassia, Petri ab Eugubio, Andreæ à
Monte Regali, quorum corpora adhuc spirantia
pubulantia è loco suo post mortem prophetaverunt
flagella & iram Numinis, addetque: signa adeò
magna, ac portenta in se facta fuisse, quod si Uni-
versa Fides ac Mysteria Passionis & Trinitatis ob-
literarentur, cuncta in Corde & felle Claræ à

Monte Falco vivis crux & amoris characteribus expressa ad invenirentur.

Ait ubi adeo ab Hetruria, ac à Nostra pulcherrima Italia dissipatus, Italia inquam, quæ ad instar fulminantis Aquilæ semper Europæ nervum, & Eremi gloriam fuisse, memorias emendico AA! DEUM Immortalem! & quos sanctitatis odores, quas æthereas fragrantias etiam nunc non redolent in Veronica, planities Insubriæ, in Christina Arni oræ, in Guilelmo Pisaniæ rupes, in Rita, in Clara, in Clarella, ac in centum alijs Umbriæ valles? Satis est in unicam præcedentium comprobationem edicere de Italia Augustiniana, quod ex duodecim vastis Provincijs quas suo circuitu complectitur, Conventus, specialiter ex primarijs, in Insubria, Aemilia, Umbria, & Piceno, non reperiatur, qui plurimos sanctos, & Beatos Cœlo non pepererit. Et utinam hic ego spiritum, ad me denudat capite reficiendum, haberem, vel Vos patientiam ad me auscultandum! ostenderem sàne, ex solis fastis Hetruriæ, quæ tamen est Ordinis angulus, præberi mihi campum reeruendi, & requirendi Memorias tam decoras, quod dicere haud verear: si alibi Augustiniana non floruisse Eremus, posset tamen coram pluribus etsi nobilibus, & antiquis familijs vultum detegere, deque illis

illis & Gloriæ & magnitudinis extolli fertis, quæ hucusque enarravi. Et profecto AA: quis sacrae eloquentiæ torrens hic cursim magnificabit (nimium dixi) restringet saltem Decora Nobilissimæ hujus Spartæ, cui etsi potiori ex parte ab edacitate temporis plurima sint obtrita: sunt tamen ei adhuc multa adeò eximia, quod audita tantumodd, audientis perterant silentium, & memoriam confundant recensentis? Et quid aliæ habuere Provinciæ, quo Heturia caruit? vel ad melius proferendum: quid aliæ omnes habuere, quod in ipsa, ut in Metropoli & Regina Provinciarum collectum non extitit? Fors hic defuere Cathedris Lauri, Pulpitis Palmæ, Evangelio Tubæ, Oracula Templo, Ecclesijs Insulæ, Vaticano Candelabra?

Vos in testes advoco decora Nobilitatis Luminæ! Vos edicite: quoties soli hujus incliti Monasterij Alumni scandali munitiones prostravere? quas & quoties pœnitentiæ Ninives exèrere? quot cruoris ebrij ante eorum pedes enses deposuere? quot in Templa Divinum cultum introduxere? quot Foro pacem? Tribunalibus justitiam? sapientiam Academijs? Dicant id, nec adversor, Deodatus, Alexander, Gerardus, & Nicolaus Senensis: dicant, Finus à Pisis, Ambrosius à Florentia, Galganus à Volateris, Augustinus

nus ab Aretio, & Philippus à Monte Politiano,
ex quibus alius aureis linguis Generalibus in
Concilijs defendit Fidem : alius ignitis calamis
hæresum absumpsit chymæras : alius Insulâ ex-
ornavit Ecclesiam : alius viætricibus puritatis,
Martyrij, & doctrinæ palmis Evangelium con-
decoravit. Verùm quorūsum h̄ic iterum à dicen-
di ardore ab ripior? spiritu, lateribus, ac voce de-
ficio AA!

*Nec mihi silinguæ centum sint, oraque centum
Omnia Sanctorum restringere nomina possum.*

Sic igitur, ut me tempori uniformem, Illia-
dem prætero Beatorum: prætero lilia etsi flo-
rentia Hugolini à Cortona, Matthæi à Lucinia-
no, Petri à Camaro, & Antonijà Monticianno;
nil eloquor de antiquissimis sanctuaris Rosiæ:
reticeo Tirlum, & S. Leonardum, Vallem aspe-
ram, & Montem speculum omnes montes & Ur-
bes refugij: atque ad Te unicam d Convallis
Mambræ: ad Te d Visionum Oreb: ad Te d pul-
chra Getshemani & Thebais Illiceti meam con-
verto orationem: Tu nobis d Athletarum Ne-
mus effare quot lilia puritatis tuis in rubis efflo-
ruerint? quot mortificationum myrræ tua an-
tra sacraverint? quot Lumina Nobilitatis tua in
solitudine effulserint? Tibi non aliter ac Volup-
tatis Horto (nisi sit minor comparatio) quovis
tem-

tempore fructus fuere, neque tuis sub plantis unquam serpentes mortis latitarunt. Tu ad instar novi olympi *familiarius DEO gaudens* proprius epotasti manna & antiquorum collium rorem, ac ubi ad montis latera sæpius inundarunt tempestates, corruptellarumq, diluvia, tu semper à fulminibus nimbisque insons, tranquillitate es fruia. Tu non dispar felicibus plantis tilliæ, quæ, nisi noster mentiatur Augustinus, neque ab æstu, neq, à brumæ rigore suam primeginiam unquam amittunt viriditatem, primam severissimam disciplinam semper conservasti, atque ubi alijs in Provincijs tribuli, & spinæ sucreverunt, in Te unica effloruit observantia. à Te d^o Paradisi Viridarium in quo veri vivunt hortulanii vitiorum spinas eradicantes (sunt ipsa verba Vestræ Magnæ Seraphinæ) & virtutum radices plantantes, à Te inquam, copiosæ prodierunt Heroum silvæ: à Te Beati Marescotus, Incontri, Accharigus, Tancredus, & Aggazerus: à Te Gighius, Picolhomineus, Bandinellus, Regolinus, Petronius, Ugolinus: à Te Spannochius, Balzettus, Salimbenus, Alexandrinus: à Te Landucius, Cigonius, Nutius, Rubbeus, Tantucius, Partricius, Scotus, Binus, & Cerretanus, omnes sydera, quæ Natalium fulgoribus copulantes sanctitatem, Lumina talia Religionis & tam co-

piosa in Te plantarunt, quod absque ulla hyper-
boli: unica tantum Hetruriæ Sylva pluribus præ
integris Provincijs plures Divos produxit. A Te
d' inclyta fortium turris, & armata choris Sunami-
tis, à Te egressi sunt Religionum Patriarchæ, à
Te Evangelio Apostoli, à Te Gentibus Prophe-
tæ, à Te Fidei Martyres, à Te Ecclesijs Mitrati,
à Te Sorbonæ Magistri, à Te Ordini Columnæ,
à Te Cardines Sacro Collegio, ad Te unicam
contemplandi gratiâ tua mirabilia, advenere Gre-
gorius XII. Martinus V. Eugenius IV. Pius II.
Romani Pontifices, ad Te Archi-Episcopi Me-
diolanenses, Siciliæ Comites, Galiarum Dynastæ,
Mantuanæ Duces, ad Te Portugalizæ ac Lotha-
ringiæ Magnates, qui omnes attracti ac rapti à
myrrharum tuarum odore, elinguem publica-
vère famam de tuis laudibus effusam, ac majo-
rem Tuis inclytis in Natis ipsâ etiam famâ à se
percepta sanctitatem reperere. Ad Te tanquam
ad perfectionis Palæstram profecti sunt Guilelmus ab Aquitania, Franciscus ab Assisio, Phi-
lippus Benitus, Bernardinus Albizeschus, Ca-
tharina Senensis, Galganus, Sanfedonius, Bran-
danus, & Columbinus, qui à Tuorum ardore
succensi hospitati sunt ut Angeli, & dein ut Se-
raphim sunt egressi. Verum quid eloquor? ve-
nere ad Te non solum ab Europa, sed ab Africa,

ab Ægipto , à Syria , à Thebaide integræ silvæ ;
Divorūmque Colonīæ : quæ ubi vulgò cognita
sunt (sunt unius Purpurati verba) populi latè
moveri , rem passim vulgare , locum petere , pa-
cem veniamque postulare , ut proverbium esset :
Angeli ad Illices. O Jllicetum ! hic igitur læti-
tiae Lacrymis exclamabo , verè illicium san-
ctorum ! ô Silva Sanctorum magis , quam plan-
tarum radicibus virens ! ô Desertum Christi flo-
ribus vernans ! ô solitudo in qua illi nascuntur la-
pides de quibus in Apocalypsi Civitas Magni
Regis extruitur ! ô Eremus familiarius DÉO
gaudens ! atque Sanctuarij velo totam obtegens
gloriam , solum edicam , quod adeò in sublimi
gradu fervor , solitudo , ac silentium in te florue-
rint , ut ne populorum concursus alicui foret
præjudicio primigeniæ antiquæ observantia ,
præceperint (res verissima , ast & auditu incre-
dibilis) præceperint Tui Superiores sub rigoroso
obedientiæ tenore Divis jam defunctis , ne ultrò
miracula patrarent , magis aureæ illæ Animæ
cum Parente Augustino diligentes observan-
tiam absque miraculis , quam miracula absque
observantia . Quis autem Vobis AA: ad mira-
cula tam excelsa , ad portenta tam sublimia est
sensus ? Deum Immortalem ! & quot miracu-
la unum tantum complectitur miraculum ? mi-

raculum, quod superior ex Zelo quo pro Ordine
flagrabat miracula prohibuerit: miraculum,
quod Divijam defuncti huic obtemperaverint
præcepto: & miraculum, quod expirato per o-
bitum superioris dicto præcepto, Sancti ad pa-
tranda miracula sint regressi.

Argumentetur nunc itaque cui judicium suf-
fragatur, & ab uno tantum Hetruriæ angulo di-
metiens amplitudinem, splendorem, varia-
tem quadraginta & plurium Provinciarum ma-
gnum hoc Corpus componentium, erigat caput,
nobiisque referat, num Summi erraverint Ponti-
fices Ordinem Nostrum, Ordinem & Familiam
secundam Sanctorum appellantes? referat, num
suis in Visionibus decepta fuerit Veronica à Bi-

I folianus in ejus Vita.
nasco: Beatos Augustinianos excedere in nume-
ro aliorum Beatos suspiciens? referat denique,
num à verò sapientes illi Scriptores deflexerint,
qui cautiori & acuratiori oculo veritatem libran-
tes asserere non sunt veriti, *quod omnes ferè or-
dines huic comparati, appendices videantur istius.*

*ex Genes.
brando.*

Ast nimium, nec perpendi, Vobis jam mo-
lestus tanta longitudine extiti AA: & tamen etsi
opus sit terminatū neandum est perfectum, mul-
ta abscondita sunt majora his, ac ex hactenus
enarratis, solum quod minus est, factum est pa-
lam remanente majori etiamnum abscondito,

pau:

pauca enim vidimus operum ejus. Et hic A.A. re-
cordor sapientiae Magni illius hominis de quo ex-
aravit Ecclesiastes, quod postquam sumo cum
animo hostiles sustinuisset assultus, suamque Ci-
vitatem defendisset, nullus deinceps est recorda-
tus hominis illius pauperis. Ita est profecto, vi-
xere, nec dubito, vixere inquam primo illo in
fervore Heroes, vixere sapientes, vixere fortes,
sed quid? de aureis animabus priuam antece-
dentibus unionem possumus id in veritate affere-
re, quod de Græcis ante Agamemnonem musa
concinuit Horatij

*Vixere fortes ante Agamemnona
Multi sed omnes illachrymabili
Morte carent, quia Vate Sacro.*

*E*tredecim siquidem sæculis à fundatione Ordini-
nis jam effluxis, quatuor solumodd sæculorum
nobis constant memorie: ac è recentibus (ð in-
curiam eas non conscribentium! ð injuriam eas
rapientium! ð humilitatem eorum qui Deo inte-
gris Eremi labores divinæ charitati potius quam
bominum existimationi consecrantes, parùm aut
nihil scribi de se passi sunt) vix non omnes amisi-
mus. Consolemur tamen AA: ex corde loquor,
consolemur inquam, & si non aliud, semel sal-
tem nostras celebremus miseras. *Reliqui runt*
nomen nostri inclyti Antecessores narrandi lau-

des eorum, & sunt quorum non est memoria. Exi-
lit mihi cor è pectore, quod quocunque oculus
per deserta & dumeta Africæ prospiciat, aliud
non intueatur quam corpora, & calvarias mar-
tyrum à pedibus idololatrarum prostratas, ac una
cum ipsorum sepulchris eorumdem pariter Ma-
gnorum Nominum memorias obtritas, *bi sunt*
quorum non est memoria. Intueor pœnitentium
Myrrhas Beati Didaci Oppimensis, Bictrinorum,
Vallehirutorum, Fabalensium, Rupecaven-
sium, Centumcellarum, Turripalmensium,
qui omnes Paradisi ad instar prima illa in unione
concurrerunt ad efformandum hoc magnum
æther, & *sunt quorum non est memoria.* Circum-
dor undique legionibus Anacoretarum, qui om-
nes extillantes è vertice pedibus, manibúsque
myrrham mundo penitus emortui vixerunt, vel
si vixerunt ante mortem in cælum rapti desuper
charitatis currum obierunt antequam obierunt,
& *sunt quorum non est memoria.* Perstringunt
oculorum meorum aciem luminosa millia Vir-
ginum, quæ terrenæ, sed *supra terram* Heliotro-
pio haud dispare post splendorem formosi sui
Phæbi cucurrerunt, & *sunt quorum non est memo-
ria.* Meo se præbent obtutui Oringa à Valle Ar-
ni, voce solem detinens ; Jacobus à Cerpetto
ranis silentium indicens : Hieronimus Gerardu-
cius

cius siccus pedibus absque phasello aquas flumi-
nis Ufentis transuadans : Germanus Parisiensis
cantu flammam extingueens : Jodocus ab Anglia
aridis è pumicibus unico nutu aquas eliciens,
& sunt quorum non est memoria. Conspicio Ja-
cobum ab Herrera , ac Hieronymum à Marino
se ipsos tyranno vendere aliorum coemendæ li-
bertatis gratiâ ; conspicio integras captivorum
urbes ad voces Leonardi catenas frangere : le-
giones mutorum , coecorum , surdorum , con-
tractorum , febricitantium prodigiosis coram tu-
mulis Georgij à Veruccio , Clementis ab Auxi-
mo , Antonij à Mediolano , Joannis Boni à Man-
tua , Christinæ ab Aquila pristina vitæ officia re-
assumere , & sunt quorum non est memoria Conspi-
cio , & illacrymor , sed quid erit ? Sepeliat ut ut sit
sive ignorantia , sive malitia præstantiores Sanctorum
victorias , ac impia oblivione memorias No-
strorum prætereat : Heroes tamen illi , illi Viri mi-
sericordiae quorum virtutes , quorum pietates non
defuerunt cum semine eorum permanent bona , san-
ctitas videlicet & doctrina Filiorum , & Filij Eo-
rum ringente perfidia propter illos in æternum
manent . manent , vivent enim in ævum San-
ctum Ptholomæus à Venetijs , Simon à Cameri-
no , Joannes Rocchensis , Christianus à Galijs ,
Joannes Baptista Pogius à Genua , qui plantis

semper novellis sepes Eremi corroborantes, in
hac temporum fæce aureæ ætatis conservarunt
reliquias, & cadentem antiquam obseruantiam
ad primum splendorem revocarunt. Fulge-
bunt ut stellæ in æternitate Ancherus à Galijs,
Guilelmus à Cremona, Bonsemblantes à Pata-
vio, Anselmus à Montefalco, Arnoldus, Ciera,
Coqueus, qui perdoctis calamis splendorem
solis æquantes Averni adversus ausus & insultus
Thronum suffulserunt Petri, & exorientes an-
tiquas chymæras suis in nidis aggredientes,
antequam enascerentur, suffocarunt. Floredit ut
lilium Antonius à Fano, quia antiqua ac nova
disidia inter Pontificem, & Arragoniæ Regem
dicendi gratiâ exoluit, & verificans monstruo-
sas falsitates Gallicani Herculis non aureis, ast
charitatis vinculis corda devinxit. Atque iterum
qua in abyssu & sponte & ultrè volutor? *suspice*
cælum, de filijs Magni Augustini dicam, quod de
successoribus Abrahæ ipsum protulit Numen :
suspice cælum, & numera stellas si potes? Intuere
ibi prima inter lumina Joañem à Spelunca, intue-
re Avitum à Fano, Hertinodus Gothum, Fran-
ciscum ab Orvietto, Antonium à Ravana, Am-
brosum à Florentia, ac Lupum à Suriano. Ma-
jora, intuere decem Generales Ordinis Beatos :
sexcentos & ultra sanctorum cathalogo adscrip-
tos

tos : legiones aliaquæ millia Beatorum Aureolâ decoros. *Majora*, intuere quatuordecim sacri Colegij Purpuratos Patres: viginti quatuor inter oratores & Legatos Principum: quadringentos & supra scriptores: trecentos Infulâ Pallioque redimitos. *Majora suspice*, intuere penes quatuor Imperialia sceptra, viginti septem Diademata Regum, Togas, Cruces, Ducalia syrmata, quorum Eremi inter Lanas fulgidiūs emicuit Ostrum. *Majora suspice*, en inibi Beatum Joannem ab Austria, Amadeum à Sabaudia, Georgium à Rosa, Stephanum Comitem Auernatem, unum Candia Duce, unūmque Sfortiam à Cottoniola. *Majora suspice*, intuere Radegundim Reginam Galliæ, Antonium Apamiarum, Hartuagum Gotthorum, Honoratum Nicomediæ, Sebaldum Daciæ, Jodocum Angliæ, Ultanum, Fulanum, Furseum, Ægidiūmque Atheniensem omnes Sanctos & omnes Reges. *Majora bis, suspice cœlum*, intuere Monachos Caprariæ, Sardiniae, Numidiæ, imò Monachos omnes Africæ, qui solo numero stellis cœli æquari possent, cœlumque Beatorum efformare. *Majora suspice*, supra bis mille quingentos sanctissimos Martyres sub Wandali strucidatos: decem millia Europæis in Regnis Northmandorum furori sacratos: nongentos unicâ tantum die in famoso Benchensi Con-

Conventu: quingentos in Nobilissimo Lirinensi
Sanctuario: ducentos in Londinensi: *Majora*,
numera denique , si vales, millia in Germania
exusta ab Hussitis; in Hispania ab Æthiopibus:
in Gallia ab Hugonottis: in Arabia à Mahume-
tanis. *Majora*, numera legiones Noviorbis, Per-
siæ, Guineæ, Chinarum, Peruvij, Goæ, Jappo-
niæ ac Mindanai. *Majora*, numera illos Scotiæ
& Hiberniæ sub Henrico; numera illos Belgij,
Bohemiarum, & Hungariæ. *Majora*, numera tan-
dem illos Marochij, Bengallæ, Chongij, Armutij,
Georgiæ, Julij Cæsareæ, Tunetis, Philippina-
rum, Moscoviarum, & illos quoque quos præ tedio
præterire oportet, & postquam omnes enumera-
veris dic, & in veritate dices; *quod multa abscon-*
dita sint majora his, quasi vidissimus, arbitror,
non posset totus mundus capere.

Admonet me temporis & loci ratio, & re-
verentia Auditorum, ut finem dicendi faciam,
quamquam tam pauca dixerim, & tam multa
restent. Ast quia semper proprium fuit humanæ
malitiæ odio babere præsentia, Laudare præterita,
neque deerit, qui cœcè tot inter caligando lumi-
na quæ nostram ditarunt ætatem laudet euidem
memorias, & magnitudines Eremi antiquæ, sed
Nostræ dein ut steriles tantundem reprobet, ex-
pedit hic postremam à Vobis implorare attentio-
nem

nem AA: ac coram omnibus protestari, me esse
hominem incertæ fidei, nisi brevitè & quidem
clarissimè demonstrem: non tantum ætatem no-
stram aliarum ætatum æquasle glorias, verùm
etiam nec pares, nec superiores antiqua sæcula
conspexisse, unde vel increduli posteri negabunt
auditui fidem, vel his perceptis, semper nobiscum
expostulabunt, quot & ipsi pariter nati non sint
pro fruendis & conspiciendis victorijs illis, quas
conspicimus, & non curamus. Est tamen verum
(neque hic adversor) quod non semper, ac omni
in loco æqualiter floruerit observantia, quin sæ-
pius (heu tristem intuitum!) solitas inter Eremi
palmas germinavere dumeta, sæpius amaræ cre-
vère labruscæ. Verùm quid, mentietur opus olivæ
absit. Vivit etiamnum, semperque Abrahami
ad instar vincit in Filijs Augustinus; obijt unâ &
non obijt, unde & virens oliva secundior solidior-
que in ramis, et si quis ex his subtus à truncō avel-
litur, mille tamen aliæ circumquaque novellæ
altis in apicibus exurgunt. Quia igitur nunquam
majori cum pompa quam adversus calumniam
egressa est in campum veritas, nec unquam cla-
riora quam noctis in medio viâ suê lumina:
evoco hinc ad Vobis melius ostendendum Fastos
ætatis nostræ, diriorem & cæsiorem perfidiam
vipereâ suâ face quærentem axaminantem: no-
tan-

tantem, censurantem : erit dein, ut ille qui cœlum totum stellatum contemplatur, quod quo frequentius & acuratius suspicit, nova & nova in eo lumina intuetur: *quod quoties videoas lumina plura vides.*

Ast quid vellet? ut denud supra Eremum antiquum manna deplueret, ut denud in culparum diluvio per amplius appareret columba, ut rigidiori in bruma fragrantiora lilia germinarent? Est tamen Eremus Augustiniana tredecim jam saeculorum phœnix, qui animosa sua in canicie sibi ipsi succedens *temporis Spiritu crescit*, & ubi aliis Ordo in cruoris æstusque freto jam absorptus fuisset, Nostra Eremus vegetior ac secundior ipsa in hyeme lilia demetit, ipsaque in bruma palmas progerminat. Quid vellet? conversiones populorum, Fidei propagationem, Gentilitatis exterminium? Est tamen Eremus hæc, quæ novis semper reformationibus virens Europam percurrit: est tamen ipsa, quæ Ecclesiæ univit Armeniam, Bambam, ac Mellindas subjugavit, eique Provinciam Malabar, Mozambicum, Moger, ac Malaccam obtinuit, & quidem talicu[m] velocitate, quod quo vix mediante fama Fides pervenerat, *Augustinianum pervenerat nomen.*

Quid vellet? columnas Fidei, Evangelio claves, Vaticano propugnacula? & non vidimus die.

ex Joanne
Charam-
nelz.

ex Patre
Engelgra-
ve Concio[n]e
D. P.

diebus nostris Simonem Morales, Antonium à Govea, Cornelium Bie Batavum, Ecclesiarum, dicam, post Apostolos fundatores, qui à DEO ordinati Pugiles in Romanæ Ecclesiæ tutellam carbonibus desolatorijs, ac sagittis acutioribus potentia fulminantes, proterentes, extirpantes Gentilitatis chymeras, non tantum Altaria, sed & ipsa impia lectarum Nomina eradicarunt, omnibusque confractis, ac raptis fortis spolijs, tributoria effecere Vaticano solio sceptræ, eique Reges Vasallos submisere.

Quid vellet? libanos incisos palmarum, legiones floridas Martyrum, Visiones, & prophetias? & quæ reperitur ora tam solebrosa, littus tam dissitum, quod à Nostrorum cruento, atque sudore non sine admiratione irrigatum non fuisset? Victoriosum erigit verticem in Moscovia Nicolaus à Melo, in Bohemia Casparus, Malaccæ Raphael, Guilelmus in Georgia, Mindanai Alphonsus, in Mauritania Alipius, Congallæ Augustinus, in Anglia Chrisostomus, in Japponia Petrus à Zunica, Thomas, Ferdinandus, Franciscus, Michaël, Andreas quot Martyres, tot flumina, quæ sanguinis effluvio irrigando Orientis plagas, vendemias adhuc speciosas ac suaves ætheri progerminant.

ex Alexandro Macedo in pugnaculo Lusitanie.

Quid ultra vellet? Fastos Sanctorum, Populo.

lorum applansus, Triumphos in Quirinali? *Sapi-*
entiam Sanctorum Thomæ à Villa - Nova, Joan-
nis à Sancto Facundo, Alphonsi ab Oroscō, Jo-
annis à Sancto Guilelmo, Petri ab Augusta, Hie-
ronymi à Cruce, Marianni à Belvederio, Fran-
cisci à Castro, Georgij à Crema, Riberij, Pinne-
dæ, Saldagnique *narrent Populi Hispaniarum, &*
Italiæ, & Laudes eorum in Vaticanini verticibus
annunciet Ecclesia.

*ex
Charamuel
in Theologia
Regulari
disput.* 34. Quid ultra vellet? Athenas Doctorum, æthe-
ra lumen, Seraphinorum intelligentias? &
non produxit diebus nostris Salamantica Bernar-
dinum Corneium, Antonilez, Valentiam? Salo-
nium? Albizium Complutum? Coninch & Lan-
cellottum Lovanium? Lutetia Parisiorum Coc-
quæum, ac Moræum? Conimbrica Ægidium, &
Franciscum à Christo? Cieram Venetiæ? Bossi-
um Patavium? Brunum Neapolis? & subtice-
do Paludanum, Basilium, Lupum, Arragonium,
Marquezium, Mendozam, Puteanum, & cen-
tum alios, quorum nomina ut potè apud omnes
celebria, *nostris ultrò non indigent laudibus.*

Quid ultra vellet? Principes ac Reges, qui
humilitati Eremi postponentes soliorum hono-
res, deseruerunt Regna, valedixerunt coronis, ac
inter Augustinianas umbras ut splendidius emi-
carent murices effecere? Edisserat (nec oblitus)
id

id Maria Ludovica Regina Portugalliae : edifferat
Hieronymus à Cruce Regis Armutij Primoge-
nitus : edifferant duodecim Palatini vasti hujus
Regni : edifferat Joanna ab Austria, Maria ab Ar-
ragonie : edifferat Catharina Dux Mantuana :
ac præ cæteris edifferat (potest siquidem id in ve-
ritate edifferere) Tuba illa Evangelij, ille Persiæ
Apostolus, illud temporum nostrorum decus,
Palma illa, ac Eremi Corona Alexius à Meneses :
Alexius , qui quasi sol Nostri Horizontis Nobis-
litatis, Doctrinæ ac Sanctitatis triplicato reful-
gens diademate totum & honoris & gloriæ illu-
stravit Zodiacum, addensque honorem trophæo-
rum honori, exornavit Ecclesiam, ac Sæculum
victorijs cumulavit. Alexius qui Primas Goa-
nus & Braharen sis, Præsidens Consilij Majoris
Regni, Gubernator Portugaliæ, ac quater India-
rum Orientalium Pro-Rex, cuius valorem & pru-
dentiam tanti fecere Reges, quod non fuerit nec
in Veteri, nec in novo orbe honor quo auctus non
fuisset, ipso tamen semper major, sibi in gloria
haud habuit parem, & meritis omnes est super-
gressus. Alexius qui tanquam Vas electionis
quaquaversum annuntians Augustissima Cru-
cis Decora, nunc in Concilijs hæresim Nestoria-
norum prostravit : nunc trintia Indiarum Re-
ges in Saracenos armavit: nunc Reginam Peveris,

& Babiloniæ Patriarcham in fugam agens, ab ob-
sidiōne Munitio[n]es Malaccæ ac Mozambici exo-
luit, eorumque in Mari classes dispersit, & duxit
in captivitatē rebelles, ac totum quod perten-
tavit, pervicit. Alexius, qui terror & tremor Re-
gum, & Sceleratorum flagellum, inter Æthio-
pum, Hebræorum, Schismaticorum, Gentilium
sese suis conatibus opponentium exercitus, Ve-
nerabile Crucis Scutum erigens, contrivit, ful-
minavit, exterminavit Malabarīs hæreses; Pa-
triarcham Armeniæ & sex Episcopos univit Ec-
clesiæ; ducenta sexaginta millia idololatrarum
Cruci triumphis aggregavit: ternas Melinda-
rum Principes convertit: Regem Mogor, Ba-
daronis, Armutij, Bambæ, ac Pati Sacro lustra-
vit Baptismate; & post tot victorias quas tam e-
xiguot tempore coarctare nequeo, omnem vi-
ctoriam omnemque coronam humilitate atque
meritis transcendens, honorem supressit meritis,
& meritis magè adauxit honorem. Alexius de-
nique populorum exemplum, Prælatorum idæa;
Alexius Gloria Regni; Alexius Infularum Ho-
nor & Sacerdotij Diadema: Alexius, nulli quem

*Hai de re-
bus Japo-
nia.* sciam post Apostolos comparandus, qui novem men-
sium spatio (verba sunt Auctoris extranei) plus
in animarum salute profecit, quam quotquot à
Sancto Thoma ad hæc usque tempora sedem illam
obtinuerint. Aet

Ast vos iterum AA: ad memorias tam beatas ad triumphos tam conspicuos, quid edicitis? quod gloriæ manipulos referat, qui est in flore & fervore annorum, nec senectutem nec tempora distinguens, mirum non est, imd mirum foret oppositum: ast quod austeriori in bruma, temporisque rigore magè effloreat solitudo, augeanturque Eremi Coloniæ comprehendere haud valeo, nisi vel ad Parentis merita, vel ad Gratiaæ miraculum, vel ad Providentiæ mysterium respe-xero.

Atque sic à capite exordiendo: latrent ut libet perfidorum linguae, malignantium cerasæ, vivit adhuc, & semper vincit & triumphat in Filijs Augustinus, idque modis tam decoris, quod et si nihil memoriae & annales Eremi antiquæ penderentur, *majores tamen sunt digitæ ejus ipsius videlicet extremitates, quam pleræque statuæ copiosarum & antiquarum familiarum: de nostra proinde Eremo, ut de miraculo, quod etiam in terram lapsa, sit miraculum, veracitè dici potest jacens quoque miraculum est.* Et sanè AA: laudet quicunque valet triumphos, ac magnitudines antiquorum sæculorum, & solum illas hujus nostræ vi reprobet, nihilominus tamen æquè ut reproborum opera Sanctorum Heroum similitèr & facta bona manifesta sunt, & quæ aliter se habent

bent abscondi non possunt. non possunt tot Ordinis
Claustra novitè vel restaurata vel erecta. non
possunt tot Populi, & in ortu, & in occasu illumina-
ti. non possunt Georgiæ hæreses, ac schismata ite-
rum protrita. non possunt publicis in Belgio sum-
ptibus erecta Collegia erudiendæ juventutis cau-
ſa. non possunt Religiosi Germaniæ destinati à Pon-
tifice ad pacificandos Electores. non possunt vi-
ctoriæ Persicæ admonitione, & consilio nostro-
rum de Turcis obtentæ. non possunt solem-
nes Legationes ad Regem Persiæ, ac Magor, ad
Saladinum, ad Paulum Quintum. non possunt
missiones Arabiæ, Goæ, Angollæ, Congij, Chi-
narum, Armutij, Holandiæ, Zelandiæ, & Phi-
lippinarum. non possunt triumphi civitatum &
statuæ Martino Leoni sacratæ. non possunt ele-
emosynæ & pietates binorum Augustinorum
Antonilez videlicet & à Jesu. denique abscondi
non possunt Gregorius Nugnes, Ludovicus ab
Angélis, Joannes Chloos, Bernardus Alzevedo,
Franciscus à Castro viridi, Basilius à Carpinetto,
Petrus à Vega, Millesius, Lancellotus, Herrera,
Crusenius, Gratianus omnes lumina, quæ sapi-
entia, prudentia, & bonitate nostram ditarunt æ-
tatem. Epilogum quapropter discursūs mei ex-
ordio copulans, liberè audax concludo: majores
pro-

progressuum quam principiorum, & maiores ipsius finis quam progressuum, fore Memorias.

Ascende igitur nunc ad pulcherima Sunamitis, ascende nunc a cruoris freto, *ascende de petra deserti ubi tantopere laborasti ad Montem filiae Sion*, ad æternitatis montem, & laetare nimis, & gaude Jerusalem Mater nostra. exclamarent Filii Aron in Tubis ductilibus, aureisque thuribulis, thure, & thimiamate auditam faciant vocem magnam in memoriam coram Domino in memoriam Athletarum Eremi, qui tam felicibus spolijs cœlum ditaverunt. *Aperi Libane portas tuas, concedite translitum ad Seraphim, egredimini filij Sion*, & supra ardente solis currum summum præparantes triumphum, præ omnibus agite, ut in vestitu deaurato circumdata varietate ad instar Psalmorum Reginæ, Religio coronetur, eiusque fronti imprimite elogium Summi quod ei tribuerunt Pontifices, *Augustiniana Familia secunda Sanctorum Parens*. Disponite: eam ut præeant nonaginta & plures Religiones Canonicos inter ac Eremitas; eam ut undequaque circumdenter Legiones Pænitentium, Confessorum, Virginum, Doctorum, ac Prælatorum: post se ut trahat Monstra furiasque hæresum: penes, ut sequantur millia ac millia Christianorum, Græcorum, Schismaticorum, Gentilium, Africanorum

rum, Europeorum, Asiaticorum, Americano-
rum de quibus omnibus triumphos retulit; at-
que ex tot tamque conspicuis diadematibus, u-
num tantum ipsi efformate, super quod Cheru-
binorum quispiam aureis excusat characteribus
cunctas victorias, unâcum Nominibus Beato-
rum quos genuit, Parentum denique magnalia ac
Nomina absque eo, quod intrinsecis latet. Ita Vos
Magnæ Animæ, quæ in illo Pacis ac tranquillita-
tis Gremio almo jam fruimini triumpho, respice-
re velitis super eos qui pereunt, atque à portu dis-
siti tot inter adversas agitantur procellas. Ita Vos
qui in terra tanto fuistis Fratribus Vestris exem-
plo, eis etiam Vestro succurrere Patrocinio non
dedignemini ab æthere ubi charitate flagrantes
æquè Dilecti Deo, ac potentes extatis. Eia com-
moveant Vos d̄ Incliti! victimæ & lanienæ tot
populorum, dissidia tot Principum, naufragia tot
Regnorum, innocentia tot miserorum: miseriae
tot Innocentium. Ad hoc Vos adigit fides illa
quam Nobis spopondistis, affectus ille quem ex-
hibuistis, periculum in quo versamur, ac si non
aliud, sanguis, spolia, ac cineres sacrosancti, quos
tanquam in pignus Præsidij Vestri nobis dereli-
quistis. Vos verò filij quoque ac Fratres tot San-
ctorum, mementote, quod qui natus est Augu-
stianus, natus sit Magnas: mementote, quod à
for-

fortibus aquilis nunquam imbellis columbae
prodierint : mementote , quod Mater quæ Vos
enutrit fit adinstar Lacedæmoniarum quæ gig-
nere tantum Heroes consueverant : mementote,
quod Filij sitis Sanctorum, ac inde agite, ne vitis
ad eō fecunda in palmites non bonos degeneret :
mementote tandem , quod auram illam quam
ducitis lucem illam quam videtis , claustra illa
quæ incolitis, lanas illas quas induitis, vigiliæ, je-
junia, pœnitentiæ, tribulationes, Missiones, Vi-
ta, Sanguis , Vulnera, ac Mors tot Athletarum
consecraverint : & si calcaria sanctitati Me-
moriæ sunt Sanctorum, *imitari non pigeat,*
quos celebrare delectat.

L A U S D E O .

